PSEUDO-QUINTILIANEA

SYMBOLAE AD QUINTILIANI QUAE FERUNTUR DECLAMATIONES XIX MAIORES

DISSERTATION

ZUR

ERLANGUNG DER DOKTORWÜRDE

DER

HOHEN PHILOSOPHISCHEN FAKULTÄT

DER

K. LUDWIG-MAXIMILIANS-UNIVERSITÄT

MÜNCHEN

VORGELEGT VON

ALBERT BECKER-SPEIER

1904.

LUDWIGSHAFEN A. RH. 1904.

BUCHDRUCKEREI VON JULIUS WALDKIRCH & CO.

PARENTIBUS CARISSIMIS

S.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41549027_0099

Quintiliani quae feruntur declamationes XIX maiores, cum res [1]) non magis quam verba [2]) satis digna sint, quae diligentius perquirantur, a recentiorum temporum philologis usque ad hanc ipsam fere aetatem nescioquomodo nimis neglectae sunt.

Renatis [3]) enim antiquitatis studiis cum anno MCDLXXXI Quintiliani declamationes omnes Georgio Merula Alexandrino curante primum typis expressae essent, insequenti aetate editiones plus quam L sive novae sive principem secutae prodierunt, donec Burmannus anno MDCCXX codicibus tum Leidensibus excussis adhibitisque U. Obrechti, Cl. Schultingi, J. Fr. Gronovi libris eam curavit editionem, quam meliore carentes his etiam diebus sequamur necesse est. Quo Burmanni [4]) opere publicato declamationes ante totiens excusae magis magisque iam oblivione obruebantur. Abhinc viginti demum fere annos haec studia renovata sunt Constantini Ritteri libro, qui inscribitur: Die Quintilianischen Declamationen. Untersuchung über Art und Herkunft derselben. Freiburg i. B. und Tübingen 1881. Hoc etiamsi opusculo diligenter sane elaborato, quam in eo habebat spem, auctor doctissimus minime explevit, declamationum tamen studii redintegrati laude dignum eum esse omnes consentiunt.

A quo scriptore declamationes maiores compositae essent, Ritterus l. l. investigare conatus observato dicendi genere corpus divisit in partes quattuor. Quae quatenus recta sit illius opinio, diligentius sermone perquisito apparebit. Quamvis enim sagaciter et acute Casimir de Morawski [5]) non nulla orationis propria

[1]) Cf. Hammer, Beiträge zu den 19 größ. quintil. Deklamationen (Progr. des K. Wilhelms-Gymn. in München 1893) p. 7 sq. Friedländer, Sittengesch. Roms III[6] 392 sqq. Morawski, Zu lat. Schriftst., Wien. Stud. IV (1882) 166—168.

[2]) Cf. Hammer, l. l. 44 sqq. Morawski, Bemerkungen zu d. sg. quint. Declam. (Zs. f. d. öst. Gymn. 32 (1881) 1—12). Zverina, Arch. f. d. Stud. d. neu. Spr. LXX 351—354. Dessauer p. 102 sq.

[3]) Cf. Dessauer, Die handschriftl. Grundlage der 19 gr. pseudo-quintil. Declam. Leipzig 1898. 1 sqq.

[4]) M. Fabii Quintiliani, ut ferunt, declamationes XIX maiores — curante Petro Burmanno. Lugd. Bat. MDCCXX.

[5]) Zs. f. d. öst. G. 32 (1881) 1—12.

observaverit, haud tamen ea quae collegit sufficiunt: immo quaestio plane ut possit diiudicari, nova declamationum editione opus est et codices excutiendi et verba emendandi novas secutura rationes.

Itaque C. Hammerus primus codices quibus traduntur declamationes paene omnes — sunt autem haud pauci — inter se comparavit fusiusque suo libro [1]) descripsit, quo denique nisus H. Dessaverus, qui paulo post praematura morte studiis liberalibus ereptus est, codices dispersos summa cum diligentia [2]) suo quemque loco ipse inspexit examinavit excussit additisque non paucis emendationibus argutis viam munivit, quam Georgius Lehnert, vir doctissimus his mensibus declamationes maiores editurus, facile sequetur. Fundamento igitur erunt huic novae editioni codices antiquissimi Bambergensis membr. M IV 13 saec. X et Leidensis Vossianus Lat. in quarto nr. 111 membr. saec. X/XI (**A**), codices Parisinus (Bibl. Nat.) 16230 chart. saec. XIV (olim Sorbonianus) et Parisinus Sorbonianus M. S. 629 chart. saec. XV (**B**). Accedit cod. Montepessulanus (bibl. Scholae Medicae) H 226 membr. saec. XII (**A**).

His de declamationum quasi vita praemissis ad id ipsum, quod nobis proposuimus, transeamus.

Hammerus [3]) l. l. p. 13 Taciteo hoc loco nisus dial. 20,18 *‚exigitur enim iam ab oratore etiam poeticus decor, non Accii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Vergilii et Lucani sacrario prolatus; horum igitur auribus et iudiciis obtemperans nostrorum oratorum aetas pulchrior et ornatior extitit‘* exemplis nonnullis adlatis declamationum quoque auctorem (auctores?) et Maronem et Lucanum imitatum (imitatos?) esse suo iure demonstravit. Idem quod apud Tacitum (dial. 20) Aper, Quintilianus ipse voluisse videtur, cum diceret i. o. I 8, 5: *‚optime institutum est, ut ab Homero atque Vergilio lectio inciperet, quamquam ad intellegendas eorum virtutes firmiore iudicio opus est; sed huic rei superest tempus; neque enim semel legentur.‘*

[1]) l. l. pp. 14—43.

[2]) Cf. LC 1899 n. 1 col. 24—25 (C. W—n). DLZ 1899 n. 9 col. 340—42 (Engelbert Drerup). BPHW 1899 n. 17 c. 521 sqq. (C. Hammer). Cf. quoque Hugonis Dessauer commentatiunculam post auctoris mortem a Georgio Lehnert editam in ‚museo Rhenano‘ (nova ser. LVI [1901] 416 sqq).

[3]) Si discesseris ab iis quae Ritterus et Dessaverus huc spectantia in transcursu protulerunt. Haud spernenda Burmannus profert in adnotationibus suae editionis.

Sed cum his aliisque verbis similibus discipulos ut poetarum libros diligenter legerent adhortaretur magister, scriptoribus illis, [1]) ut Velleio Paterculo sive Valerio Maximo minime tamen assensus est, qui his lenociniis quasi splendidis oculis orationi pedestri insertis fucare iam conarentur deterius genus dicendi. Quodsi demonstrandum esset has declamationes Quintiliani nomine perperam insignitas esse, nihil nisi illud esset laudandum (i. o. VIII 6,17): ‚in illo vero plurimum erroris, quod ea quae poëtis, qui et omnia ad voluptatem referunt et plurima vertere etiam ipsa metri necessitate coguntur, permissa sunt, convenire quidam etiam prosae putant', [2]) quo iudicio satis apparet, quantum ab illo tumore rhetorico, quo declamationes abundant, alienus fuerit Quintilianus. Sed cum viri praecepta admodum sobrii et corruptum genus dicendi ad severiora iudicia revocantis perpaucis sequi placeret, res eo pervenit, ut variis litterarum generibus confusis res, quae magis solutae orationi conveniebant, versibus celebrarentur, ex altera parte oratio soluta poetico prorsus imbueretur colore. Itaque omnibus fere claustris quae poësin a prosa dirimebant perfractis Vergilius ipse orator an poëta putandus esset, P. Annius Florus severius disceptare ausus, Tib. Claudius vero Donatus palam professus est Vergilium summum esse oratorem apteque a rhetoribus interpretandum [3]). Quae cum ita sint, in his quoque declamationibus scholasticis cum totius poësis prosaeque confusionis tum carminum imitationis ‚poëtae praecipui [4]) omniumque praestantissimi atque optimi [5])' et qui unus omnium perdiu [6]) erat notissimus latius patere atque adeo latere vestigia tuo iure suspiceris. Quod splendidis aliquot exemplis priore huius dissertatiunculae capite demonstrare conabimur multorumque luminum veram originem indagare.

---

[1]) Cf. quae de illius quam vocant argenteae aetatis moribus studiisque scriptorum latinorum luculenter disseruit C. Morawski, De rhetoribus latinis observationes (Acta acad. Cracov. 1892. II 1 p. 373 sqq.) et (idem) Eos II (1895) p. 4 sq.

[2]) Cui iudicio cf. Ciceronem, de orat. III 38 § 153.

[3]) Cf. Woelfflinium in arch. XII 114 sqq.

[4]) Oros. II 5 § 10 Z. (de Vergilio).

[5]) August. d. c. d. I 3.

[6]) Cf. Comparetti-Dütschke, Virgil im Mittelalter p. 22 sqq. Ribbeck, G. d. r. D. II 102. Friedländer III[6] 402. Teuffel-Schwabe[5] 505 sq. Georg Kaufmann, Rhetorenschulen und Klosterschulen oder heidnische und christliche Cultur in Gallien während des 5. und 6. Jahrh. (Fr. Raumer, Hist. Taschenbuch X [1869] p. 16 sqq.)

Quod autem nonnulla et aliorum et Vergili propria huic tamen indici Vergilianorum inserere ausi sumus, hanc sequi placuit rationem, quam simili in re hunc in modum Weymanius statuit: [1])

„Ich habe mich (dabei) von der Ansicht leiten lassen, dass, wenn einmal einige Parallelen von zwingender Beweiskraft die sprachliche Abhängigkeit des Autors B vom Autor A erhärtet haben, man unbedenklich eine Reihe von Erscheinungen bei B von A herleiten darf, auch wenn dieselben noch bei C und D nachweisbar sind, und deshalb kein Bedenken getragen, den äusseren Eindruck meiner Parallelensammlung hie und da durch Anführung von Belegen aus einem dritten und vierten Autor abzuschwächen.“ [2])

Altero autem capite aliquot locos afferre in animo est, in quibus aut codicum scripturam perperam in dubium vocatam aut meliorem quam quae in editis exemplis circumfertur sive e codicibus sumi posse sive aut aliorum aut denique mea coniectura repertam esse puto.

Commentatiunculam hanc ut aggrederer, auctor mihi C. Hammer fuit, vir doctissimus. Gratissimum mihi est officium, ut huic, qui lectionum variarum apparatum summa cum benevolentia subministravit, non magis quam E. de Woelfflin et C. Weyman, magistris carissimis, gratias quam maximas me debere hic ex animo profitear. Gratias ago etiam Georgio Lehnert, qui Woelfflinio auctore nonnullas codicum scripturas benigne mihi suppeditavit.

[1]) Cf. Weyman, Studien zu Apuleius und seinen Nachahmern. (Sitz.-Ber. d. K. B. Ak. der W. philos.-philol. u. hist. Cl. 1893. II p. 322).

[2]) Cf. Woelfflin, Die Nachahm. i. d. lat. Prosa (Arch. XII p. 114). Quid de universa in scribendo imitatione Romani iudicaverint, luculenter demonstrat W. Kroll, Unsere Schätzung der röm. Dichtung, Neue Jahrbücher XI (1903) p. 1 sqq. cf. etiam E. Norden, P. Vergilius Maro Aeneis Buch VI, Leipzig 1903, 359 sqq

CAPUT I.

VERGILIANA. [1]

Notarum tabula. [2]

class. A:
- ***b (B)*** = *Bambergensis* (Hammer p. 15, Dessauer p. 10).
- ***v (V)*** = *Voßianus II.* (Ha. p. 15 sq., Dess. p. 18).
- ***(M)*** = *Montepessulanus* (Dess. p. 14).

class. B:
- ***m (P)*** = *Parisinus 16230* (Ha. 21, Dess. 21).
- ***(S)*** = *Sorbonianus* (Dess. 22).

- ***p (H)*** = *Perizonianus* (Ha. 16, Dess. 39).
- ***V (I)*** = *Voßianus I.* (Ha. p. 16, Dess. 40).
- ***Ha.*** = *Hammer,* Beiträge zu den 19 grösseren quintil. Deklam., München 1893.
- ***Dess.*** = *Dessauer,* die hsl. Grundl. der 19 gr. pseudoquint. Decl., Leipzig 1898.
- ***Burm.*** = *Burmannus* sive Burmanni editio.
- ***Bip.*** = *editio Bipontina* (MDCCLXXXIV).
- ***Gron.*** = *J. Fr. Gronovius* in Burmanni editione.
- ***Schult.*** = *Cl. Schulting* in Burmanni editione.

DECLAMATIO I.

c. 3 p. 8 *per inane longum.* locutio est ex Aeneide petita, ubi XII 353 sqq. invenias:

Hunc procul ut campo Turnus prospexit aperto, Ante levi iaculo *longum per inane* secutus Sistit equos e. q. s.; cf. Ecl. VI 31 *magnum per inane* (= Lucr. I 1018). Oros. VII 35 § 17 spicula . . . *per magnum inane* portata. Aen. XII 906 *vacuum per inane.* Amm. Marc. XVII 4, 15 in *arduum per inane.*

---

[1]) In Pseudoquintiliani locis enumerandis et declamationum capita et editionis Burmannianae paginas adnotamus; Vergili carminum praesto fuerunt editiones Ribbeckianae maior et minor.

[2]) Codicum notae priore loco positae sunt C. Hammeri, uncis inclusae Hugonis Dessauer sive Georgi Lehnert.

c. 5 p. 10 *si qua est fides.* formula saepius in declamationibus occurrens (III 3 p. 62, IV 2 p. 85, IX 10 p. 198, XII 8 p. 248, XII 26 p. 267, XVI 4 p. 326; at IX 7 p. 195 *si ulla miseris est fides* = Ovid. met. IX 371 *si qua fides miseris)* eodem modo a Vergilio adhibetur Aen. II 142 sq. *si qua est . . . fides;* Aen. III 433 sq. vati *si qua fides;* Aen. VI 459 *si qua fides* tellure sub ima est. Cf. Ovid. am. I 8, 11; Mart. I 13, 3; V 19, 1. cf. E. Norden ad Verg. Aen. VI 346. 459.

c. 5 p. 10 (dicitur privignus) sanguinem patris usque ad cubiculum *perduxisse.* codd. quod habent *‚sanguine'* servandum ut demonstret, suo iure Hammerus l. l. 48 Vergili versum affert G. IV 415:
Haec ait et liquidum ambrosiae diffundit odorem, *Quo* totum nati corpus *perduxit.*

c. 6 p. 14 semper *sibi custodiunt* miseri, ne esse miserabiles desinant. cf. Ha 49.

c. 7 p. 20 gradu suspenso *ponere* certa *vestigia* et in omnem timoris sui partem sollicitum circumagere vultum. *‚ponere'* illud *‚vestigia'* apud Maronem [1]) invenitur G. III 195:
(equus) . . . vix summa *vestigia ponat* harena. Ac nisi omnis huius loci color esset ironicus, iam *‚certa'* in *‚caeca'* mutandum esse coniceres ex Aen. VI 30:
(Daedalus) *caeca* regens filo *vestigia.* vox vero *‚gradu suspenso'* illi Ciris Pseudovergilianae [2]) versui 212 conferatur: tum *suspensa* levans digitis vestigia primis (egreditur); ceterum videas Cir. 205 sqq.; cf. *suspensis . . gressibus* decl. II 16 p. 53 — Amm. Marc. XXXI 11, 4 obscura nocte *suspensis passibus* incompositos aggressus.

c. 9 p. 23 brevissimam *periturae animae viam* quaerit? (cf. Thes. II 70 s. v. anima) — *‚viam'* quod scriptor dicit periturae animae, magis pressisse videtur poetae vestigia quam qui argentea quae dicitur litterarum lat. aetate illud *‚via mortis* [3])'

[1]) Sed etiam apud Ciceronem fin. 5, 5; Phil. 3, 31 aliis locis.

[2]) Nuper F. Skutsch, Aus Vergils Frühzeit, Leipz. 1901, quod alibi (Pauly-Wissowa IV 1348) promiserat, id iam demonstrare conatus est Vergili quod fertur carmen Ciris a C. Cornelio Gallo compositum esse; cf. quae contra illam Skutschi opinionem disseruerunt R. Helmius, BPHW 1902 n. 7 [201 sqq.], 8 [236 sqq.] et Fr. Leo, Vergil u. die Ciris, Herm. XXXVII [1902] 14—55.

[3]) Woelfflin, Arch. XI 512. Weyman, Bemerkk. zu Horaz (BlfdBGymn.-Schulw. XXXVIII [1902] p. 239).

occuparunt. Auctor vero illius locutionis Vergilius fuisse videtur, qui primus dixit G. III 482 nec *via mortis* erat simplex. cf. XIII 10 p. 284 aperitur ingens *funeri via.*

c. 11 p. 30 *quantam expectaret invidiam* — v. Ha. p. 53.

c. 14 p. 33 *uno ictu* — v. c. 14 p. 34.

c. 14 p. 34 potest et *uno ictu* mulier occidere [1]) — haud scio an illud Vergilianum hic auctor meminerit Aen. IX 770 sq.: . . . huic *uno* desectum comminus *ictu* cum galea longe iacuit caput . . ; *unus ictus:* I 17 p. 38; XI 10 p. 239.

c. 15 p. 34 quam facili momento causae *fata vertantur* — cf. Aen. XI 287 si . . . *versis* lugeret Graecia *fatis.*

c. 17 p. 38 *uno ictu* — v. I 14 p. 34.

DECLAMATIO II.

c. 2 p. 40 dum diu multumque *attonitus haeret.*

Hic auctori Vergiliana haec ob oculos obversata esse patet Aen. V 529 *attonitis haesere* animis. decl. II 6 p. 42 *attonitus haerens.* cf. Arch. XIII 449. Addas hos locos in Thesauri volumine II col. 1154 sq. s. v. attonitus. Idem sensus (stuporem dico) ut exprimatur, declamationum auctor dicit IX 7 p. 195 obstipui totumque corpus percurrit frigidus pavor, (v. hunc locum infra expositum). IX 9 p.

[1]) Animadvertas, quo sermonis impulsu atque impetu caput hoc enuntiato concludatur. Eius modi lumina, quae praecipue in clausulis aut ubi transgressio fiebat, ponebantur atque sententiis plerumque constabant, aversatus erat Quintilianus (i. o. VIII 5, 2); plurima cum apud rhetores eorumque similes scriptores argenteae aetatis tum in his declamationibus inveniuntur, veluti

I 2 p. 7 cum propter pecuniam ames, idem amoris et spei finis est.
I 6 p. 11 nemo inde coepit, quo incredibile est pervenisse.
III 15 p. 71 haec enim condicio superiorum est, ut, quidquid faciunt, praecipere videantur.
III 19 p. 74 maximum est ex se coepisse.
V 6 p. 109 in aliena fame sui quisque miseretur.
V 12 p. 115 quaecumque explicari coacervatione non possunt, per partes vicesque servantur.
VI 19 p. 146 ei labori incumbere oportet, ubi effectus promittitur.
IX 6 p. 195 est quidem felicibus difficilis miseriarum vera aestimatio.
XI 2 p. 232 nihil magis de inimico efficere velis, quam quod ipse ferre non possis.
XV 12 p. 319 nec sine aliquo morsu resilitur a malis quae voluptate tenuerunt.
XVIII 9 p. 356 in vires caritatis accrescit ipsa miseratio. Ceterum cf. C de Morawski, De rhett. lat. obss. (Acta. acad. Cracov. 1892. II 1 p 376 sq.)

197 . . spectavi quam attonita mente, quam simili corporis motu! XVII 18 p. 348 ereptus sum miser animo meo et improvisa voce percussus steti, sine affectu, sine negatione *a*ttonitus *a*mens. v. VII 3 p. 154 stupentibus attonitisque miseris.

c. 2 p. 41 undique coeuntis *incendii* redditus *globis* arserat iuvenis — cf. G. I 473 *flammarum globos* (idem Sulp. Sev. vit. S. Martini 14, 1), Aen. III 574 *globos flammarum* utroque loco agitur de Aetna monte. v. II 23 p. 58 *ignium globos* (idem Salvian. ad eccl. III § 52), III 19 p. 75 *hostium globus*.

c. 3 p. 41 *matrimonium* filiumque abstulerat incendium — *‚matrimonii‘* vocabulum hic pro voce *‚uxoris‘* usurpasse scriptorem aliis quibus similiter adhibetur (II 7 p. 45 bis; II 14 p. 51) declamationum locis iure efficias. Ceterum et apud Tacitum ann. II 13 et in Flori epit. I 1 § 10 p. 8, 5 R item ‚matrimonii‘ vocabulum repperimus [1]), quorum utrique vocis, ‚coniugii‘ usum Vergilianum sequi placuit [2]); cf. Aen. II 579. III 296. XI 270 = decl. XVIII 5 p. 354.

[1]) Cf. Schmidinger, Untersuchungen über Florus. Diss. Monac. 1894 — JfklPh SB 20 p. 793.

[2]) Hac occasione oblata alia pauca exempla illius usus argentea litterarum aetate magis magisque patentis addere liceat, quae quidem ex his declamationibus sumpta sunt. Itaque nomina abstracta concretis substituta haec fere invenimus:

ministeria = ministri II 5 p. 43. II 9 p. 46. XVIII 7 p. 355. XVIII 12 p. 359.
gressus = pedes II 9 p. 47. IV 11 p. 93. (II 16 p. 53. 24 p. 59).
reatus = reus II 24 p. 59.
mortes = mortui II 19 p. 55. XII 27 p. 269. iam Cic. pro Mil. 86.
mortalitas = mortales II 23 p. 58 IV 9 p. 92. XIV 10 p. 304. XV 8 p. 314. XVII 11 p. 341 (cf. Cramer, Arch. VI 343).
obsidio obsessi V 6 p. 109. at: obsessi XII 14 p. 255
vultus = oculi V 6 p. 109.
humanitas = genus humanum VIII 3 p 168 (idem Min. Fel. Oct. 8, 2. 26, 11. Apul. de dogm. Plat. 1, 16 Arnob. 2, 46. cf. quoque Rönsch, Itala u. Vulgata² p. 329); at genus humanum VIII 9 p 175 bis. VIII 16 p 182.
occursus occurrentes VIII 12 p. 177.
funera mortui XII 9 p 250. XII 26 p. 268. XII 27 p. 269. (Vergilius Aen. IX 491: et *funus* lacerum tellus habet?).

Aliis quoque locis I 2 p. 5 *caecitas* eandem fere vim habere videtur quam homo caecus, I 7 p. 21 *oculorum* = videntium, II 16 p. 54, II 21 p 57, II 22 p. 58 *caecitas* = caeci, II 20 p 57 *quietis* = quiescentis, II 24 p. 59 *debilitas* = homo debilis, XI 10 p. 239 *telorum* = armatorum (cf. Kühner II § 22 adn. 5. Dräger I² 22 § 8).

Qua paucorum enumeratione exemplarium satis eluceat illum usum, cuius quasi radices et apud Homerum (ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο) et in priscis Latinorum litteris (Plaut. Cas. 135 mea festivitas, Curc. 639 mea

c. 6 p. 44 inventus est *stans in limine* — Inter alios locos pro certo de Vergilio petitos hic ipse quoque illi versui Aen. II 485 conferendus sit: armatosque vident *stantis in limine* primos.

c. 7 p. 45 matrimoniorum, matrimonii — v. II 3 p. 41.

c. 11 p. 48 *se* circum venenum deprehensa debilitas *collegit in* vires? ‚Elegantissima', ut Burmanni verbis utar, ‚locutio' praeter versum a Burmanno adlatum (Aen. XII 491) his fere locis illustrari potest Aen. X 412: tendit in adversos *se*que *in* sua *colligit* arma; G. II 154 squameus *in* spiram tractu *se colligit* anguis; cf. V 20 p. 123 spiritu vix *in* paucissima verba *collecto.* [1])

c. 14 p. 51 matrimoniorum — v. II 3 p. 41.

c. 16 p. 53 quos non ista vestigia frangant *rumpant*que *somnos?* rumpendi verbum cum vocabulo somni coniunctum invenias Aen. VII 458 olli *somnum* ingens *rumpit* pavor . . . G. III 530 . . . nec *somnos abrumpit* cura salubris. cf. II 18 p. 55 *quietem rumpat.*

c. 16 p. 53 suspensis gressibus — v. I 7 p. 20.

c. 18 p. 54 *Excitant* nos exigui plerumque motus, vox incerta, longinqua et aliquando *ipsum silentium.* Ultimam huius enuntiati partem, verba dico ‚*ipsum silentium*', non dubitamus de Vergilio promptam putare, qui in Troiae perituae descriptione Aenean haec inducit dicentem Aen. II 755: horror ubique animo, simul *ipsa silentia terrent.* Quod pro numero plurali poëtico [2]) singularis (silentium) ponitur mutaturque ‚*terrendi*' verbum in ‚*excitandi*' (Aen. II 728 nunc omnes *terrent* aurae, sonus *excitat* omnis), non est, cur scriptorem illud Vergili ante oculos habuisse negemus, quippe quod idem aliis scriptoribus arrisisse concedas. Ita quidem et *Tacitum* (hist. III 84 terret solitudo

pietas) inveniuntur, declamationibus penitus inhaesisse, ita poëtarum et rhetorum auctoritate auctum (cf. Morawski, Beitr. zur Charakt. der Sprache des Velleius, Philol. 35 p. 716), ut ipsius aevi imperatorii ingenio titulis nominibusque (A. Engelbrecht, D. Titelwesen bei d. spätlat. Epistologr. Wien 1893; A. Köhler, BlfdBG.-Schw. XX 381) maxime indulgentis. Ceterum cf. Kühneri gramm. II § 22 adn. 5. Draeger I[2] 22 § 8 Plura huius usus exempla apud Petschenigium, Ind. Vict. Vit. p. 145, invenies.

[1]) Alia exempla attuli Philol. N. F. 15 (1902) p. 478.

[2]) Cf. O. Keller, Gramm. Aufs., Leipz. 1895, p. 199. 210.

et tacentes loci) illud recordatum esse, permultis aliis eius imitationibus Vergilianis [1]) hoc quoque loco licet arbitrari. Sed etiam *Plinius,* ut omittamus *Valerium Flaccum* II 41 (ipsa quies rerum mundique *silentia terrent),* in naturalis historiae V 1 § 7 (silere omnia haud alio quam *solitudinum horrore)* et *Orosius,* quem supra I 3 p. 8 Vergilium imitatum esse vidimus, Maronem sequuntur; legitur enim hist. adv. pag. II 19 § 11 horror quatiebat animos, *silentia ipsa terrebant.* Cui loco convenit illud, quod decl. V 16 p. 120 scriptum est: quis inter complorationes gemitusque somnus, quem vix *silentia sollicita* praestarent? et ‚silvas vasta *solitudine horridas*' XIII 11 p. 284. In *Wielandi* vero carmine quod ‚*Oberon*' inscribitur hi versus inveniuntur (VII 49, 2 sq.):

An diesem öden Strand, wo alles Furcht erweckt,
Wo jeder Laut bedroht und selbst die Stille schreckt . . .

c. 18 p. 55 quietem rumpat — v. II 16 p. 53.

c. 18 p. 55 en ecce [2]) *vitalibus ruptis* in amplexus tuos *effunditur* cruor — affinitate quadam et verborum et actionis depictae locus cum his coniungendus videtur: G. I 472 vidimus *undantem ruptis fornacibus* Aetnam. Aen. II 496. III 580. cf. decl. XIII 12 p. 286 *ruptis . . . fuderunt.*

c. 18 p. 55 *fugiens* per vulnus *anima agit ante* se anhelitus — Enuntiatum Vergilianis quasi frustulis conflatum! *fugiens anima* — G. IV 526 (idem IV 5 p. 87); cf. exiens anima XIX 15 p. 375. f. a. *agit ante* se anhelitus: quod hoc loco de anima fugiente dicitur, Vergilius G. III 552 Tisiphonen inducit façientem: Pallida Tisiphone Morbos *agit ante* Metumque. Quam locutionem ‚*agendi ante*' placuisse declamationum auctori inde patet, quod eam bis (hoc loco excepto) usurpatam invenimus: IV 17 p. 99 *agebat ante* se ventura feritas publicas calamitates; X 1 p. 212 ei qui liberorum mortibus destituti cuncta vota et praeparatas spes in senectutem *ante se egērunt* (non egĕrunt, ut Schult. opinatur).

[1]) Cf. H. Schmaus, Tacitus ein Nachahmer Vergils. Diss. Erlang. = Bamberg 1887 p. 22.

[2]) en ecce *BV*; v. Ha. l. l. p. 50 sq. Dess. p. 71. Köhler in arch. VIII 221 V 16 sqq.

c. 19 p. 56 cubiculum *gemitu vociferatione* com*pletur* Aen. II 679 talia *vociferans gemitu* tectum omne re*plebat*. cf. Aen. VII 502.

c. 21 p. 57 conclusus animus non *exit in* visus. Hoc loco in transcursu nobis liceat admonere haec Aen. IV 413 *ire* iterum *in* lacrimas. Aen. XII 528 . . . nunc totis *in* vulnera viribus *itur*. cf. XIX 15 p. 375 dolor *exit in* verba.

c. 23 p. 58 sq. Vadit rapto patre iuvenis per ardentis crescentisque flammas e. q. s. Quo loco maxime rhetorem Vergili de servato Anchise narrationem recordatum esse suspiceris, eo nihil aliud nisi quod paulo infra (p. 58, 18) dicit: huic iuvenis *oneri* per medios ignium globos et ruentia tecta *suffecit*, ex Vergilio petitum videtur Aen. II 723 *succedo*que *oneri*; ‚*onus*' de Anchise etiam Aen. II 729.

c. 24 p. 59 col*labentium culminum fragor* [1]) — Satis manifesto ex hoc loco apparet, quam libere Vergili versus in rhetorum usum convertantur; neque enim dubito, quin hos versus recordatus sit auctor Aen. II 692 sqq.: Vix ea fatus erat senior, subitoque *fragore* Intonuit laevum et de caelo *lapsa* per umbras Stella facem ducens multa cum luce cucurrit. Illam, summa super *labentem culmina* tecti . . .

c. 24 p. 59 *protrahatur,* iudices, si videtur *in medium* reus — Aen. II 122 sq.: Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu *protrahit in medios.*

c. 24 p. 59 non est, qui *derigat gressus;* Aen. I 401 perge modo et qua te ducit via *derige gressum.* Aen. XI 855. V 162.

c. 23 p. 58 ignium globos — v. II p. 41.

DECLAMATIO III.

c. 1 p. 60 gravissimo *asperrimo*que *bello* — ‚*asperum*' bellum etsi iam Sallustius Iug. 48, 1 dixit, semper tamen adiectivum illud aliquid poëtici coloris habere puto. Iam cum Vergilius id saepius (Aen. I 14. 291. IX 667. XI 635. XII 124 [2]) rebus bellicis coniungat et in declamationibus

[1]) Cf. Philol. N. F. 15 (1902) p. 478.
[2]) Cf. Thes. II 811 N. 3.

III 5 p. 63. III 6 p. 64. III 16 p. 72 nobis idem adiectivum synonymis antepositum videatur, hoc quoque inter Vergiliana afferatur.

c. 3 p. 62 si qua est fides - v. I 5 p. 10.

c. 3 p. 62 *laudare erubesco* - ‚*erubescere*' primum certe (cf. Draeger II² p. 343 § 424) cum *infinitivo* coniunctum apud Vergilium Ecl. VI 2, quem sequitur Livius X 8, 5 (in prima decade). cf. X 18 p. 230 quando non *erubuit* matri *fecisse* terrorem? XVIII 8 p. 356 nec ad aures patris *pervenire* rumor *erubuit*.

c. 3 p. 62 aliter laudandus est vir fortis, idoneus bello, promptus ad pericula, *praestantis animi* —
Suo iure Burm. ex illo Vergili versu Aen. XII 19 o *praestans animi* iuvenis . . . ‚*praestans animi*', quod prioribus enuntiati membris respondet et Taciteo loco ann. VI 6 [1]) (praestantissimus sapientiae) firmatur, restitui voluisse videtur. Neque tamen Burm. coniecturam defendere auderemus, nisi hanc ipsam constructionem, qua substantivi genitivus sive, quod multi malunt, locativus [2]) ex adiectivo pendet, adeo illi poetae praecipuo placuisse videremus, ut adiectiva XXVIII primus hunc in modum cum substantivis coniungeret. Itaque cum permultis aliis locis declamationes Maronis sermonem et in rebus grammaticis sequi solere cognoverimus et paulo infra (III 4 p. 63) si non eadem, at simili structura legatur: stolida viribus, indomita feritate, hoc quoque loco Burm. emendationis conatum recipiendum commendemus.

c. 3 p. 62 *pr*aedura *pr*iscis *m*oribus *m*ater — nomen ‚*praedurus*' adiectivum inter alia cum syllaba ‚prae' (sive comparativa sive temporali) composita (*prae*dives, *prae*dulcis, *prae*sagus (etiam decl. IV 3 p. 85), *prae*scius (etiam d. IV 3 p. 85, XIX 8 p. 370) hac significatione translata primo ab illo poëta adhibetur:
Aen. X 748 . . . *praedurum* viribus Orsen. G. II 531 corporaque agresti nudant *praedura* palaestrae. v. Excursus I.

c. 3 p. 62. Agitur de Mariani militis educatione, cuius descriptionem compluribus Vergilianis scriptor non potest non exornare. ‚Semper', ait, ‚puerum *audere* aliquid *maius annis*', secutus

[1]) V. Schmaus l. l. 35.
[2]) Cf. Stacey, Arch. X 68. Funaioli, ibid. XIII 312.

illud Vergilianum (cf. Ha. p. 13) Aen. X 811 *maiora*que *viribus audes*. cf. Aen. XII 814. Versibus qui sequuntur — *ludus* fuit rotare saxa, vibrare iactu (cf. Dess. p. 84) sudes, saltus agitare *venatu*, mox vigentibus lacertis humum scindere, *segnem* futuris *novalibus* eruere *silvam*. Sic effectum est, ut, quemadmodum aliqui putant, posset cito militare —, in quibus ‚*novalibus*' [1]) illud diu non cognitum stultissime ut locum sanum sanare conaretur Obrechtum (in Burm. edit.) adduxit, haec Vergiliana inesse Hammerus p. 13 monuit: Aen. IX 605 sqq. *Venatu* invigilant pueri *silvas*que fatigant, Flectere *ludus* equos et spicula tendere cornu. At patiens operum parvoque adsueta iuventus Aut rastris terram domat aut quatit oppida bello. G. I 71 alternis idem tonsas cessare *novales* Et *segnem* patiere situ durescere campum. Ecl. I 70 impius haec tam culta *novalia* miles habebit.

c. 4 p. 63 interim ex *ultimo litore oceani* et *dirempta* frigoribus *plaga* gens . . . beluis suis proxima Italiam inundavit — Aen. VII 225 sqq. . . . si quem *tellus extrema* refuso Submovet *oceano* et si quem extenta *plagarum* Quattuor in medio *dirimit plaga* Solis iniqui.

c. 6 p. 64 (miles) redit pulvere et *cruore concretus*. Cf. Aen. II 277 squalentem barbam et *concretos sanguine* crinis; v. V 9 p. 112. VIII 8 p. 173.

c. 6 p. 65 circum*fremente* undique barbaro (*V,* barbarico *Burm.*) *ululatu* — Aen. IV 667 sq. lamentis gemituque et femineo *ululatu* Tecta *fremunt* . . . (cf. Curt. 8, 36, 18 *ululantium fremitu*).

c. 7 p. 65 *ardorem luminum, horrorem capillorum, fremitum indignationis* — ‚fremitus indignationis', ut ab extrema parte exordiar, illud spectare puto Aen. I 55 sq. *indignantes* . . . *fremunt*. cf. Amm. Marc. 16, 12, 34 *fremitus indignationi* mixtus auditus est unanimi conspiratione vociferantium Quod ad alias locutiones (*horrorem* c., *ardorem* l.) attinet, afferri possint versiculi Aen. IV 280 XII 868 arrectaeque *horrore comae* . . . Aen. II 210. V 648. IX 703, ubi semper de ‚*ardentibus*' oculis poëta dicit.

[1]) Cf. Arch. IX p. 399.

c. 7 p. 65 *gladium* . . . per pectus infandi corruptoris *exegit* - Aen. X 682 . . . per costas *exigat ensem.* Aen X 815 sq. *exigit ensem* Per medium Aeneas iuvenem . . .; sed etiam apud alios poëtas velut Ovidium, Lucanum, Senecam (trag.), Silium, Statium; cf. Mühlmann, Thes. I 990. v. X 16 p. 228 per sua viscera *exegerat ferrum.*

c. 7 p. 65 *ferrum strinxisset* — Aen. IV 580. X 715 *stricto . . . ferro.* Aen. II 334 *ferri* acies *stricta.* Locutione a Cicerone Caesareque vitata Livius et Florus utuntur.

c. 7 p. 65 cum *caecus* amentia corruptor per vulnera ipsa *rueret* ad prendendos (prehendos *B,* praebendos *ceteri*) amplexus — Aen. XII 279 . . . *caecique ruunt.* cf. Aen. XI 447.

c. 12 p. 69 *classico sonante* Aen. XII 637 *classica* iamque *sonant.*

c. 12 p. 69 vides munitum gladio latus, *loricam* ferro asperam, clausam *galea* faciem et ad *terrorem* belli *cristas* minantis (*B V*), inscriptum in scuto C. Mari nomen, totum denique virum *Martio* habitu *horrentem* — Comparare huic loco mihi liceat Aen. VIII 620 *terribilem cristis galeam* . . . Aen. VIII 621 *loricam* ex aere rigentem. ‚*Martio* habitu *horrentem*' eo plus praebet iucundi, quod in simili Vergili versiculo Aen. X 237 (*ardentis* [Thes. II 486] *Marte* Latinos) codicum altera pars habet ‚*horrentis Marte* L.', quod spretum est a Ribbeckio Prol. p. 310 s. f. Haud scio an hoc loco Pseudoquintilianeo illa fidelium codd. lectio ‚*horrentis*' firmari possit.

c. 13 p. 70 cum alii excubent armati, alii *claustra portarum* tueantur — Aen. VII 185 *portarum* ingentia *claustra.*

c. 16 p. 72 (omnes has legiones), ‚*florem Italiae*' Vergilianae [1]) admonemur locutionis: Aen. VII 162 primaevo *flore* iuventus. flos, ἀκμή, robur, decus (v. VI 10 p. 137) eodem sensu translato apud Florum [2]) invenias epit. II 13, 5 R, ipsum quoque Vergilio indulgentem. cf. IX 9 p. 189 primo *iuventae flore* fraudatus — v. Ovidiana (Excursus III).

c. 16 p. 72 nemo recusat . . . *aestivi solis* ardorem. Georg. IV 28 pandere ad *aestivum* [3]) *solem.*

[1]) Sed etiam apud Ciceronem Lig. 32. Phil. 3, 5, 13 (de vivis).
[2]) Cf. Schmidinger l. l p. 790.
[3]) Cf. Thes I 1108.

v. 16 p. 72 *ancipites* [1]) *pugnas* — Aen. X 359 *anceps pugna diu.* Cir. [2]) 368 *ancipites pugnas.* Amm. Marc. XXIV 4, 20.

v. 16 p. 72 si quo *vertice montis* hostis pellendus est — *‚vertice montis‘* cum eadem forma ter in Aeneidos libris: V 35. VII 674. XI 526 (bis in fine hexametri), semel in Ciris carmine 307 inveniatur, neque intellegi possit, cur tandem, cum alii loci asperi enumerari possint, *‚montis vertice‘* hostis fuerit pellendus, non sine causa hanc quoque locutionem, quippe quae omnis poëtico aspersa videatur colore, ex Vergilio sumptam esse suspicamur. Apul. met. I 10. III 29. VI 1. 13.

v. 17 p. 73 *quicumque* ([te]; cf. IV 13 p. 95) *casus manet,* habes solacium — Aen. XII 61 *qui* te *cumque* [3]) *manent . . . casus.*

v. 19 p. 75 *genu nixus* — Aen. XII 303 impressoque *genu nitens* [4]).

v. 19 p. 75 maximus *hostium globus* (etiam IV 5 p. 87) — *globi* vocabulum cum genitivo numeri pluralis coniunctum primum, ut recte Johannes Schmaus l. l. p. 12 sq. monuit, Vergilium, cui haud paucas alias sive voces sive locutiones ad rem militarem spectantes inventori attribuas, posuisse putamus: Aen. X 373 *globus* ille *virûm.* (cf. IX 515 globus imminet ingens). Vergili exemplum ut multis aliis, ita hac quoque in re sequuntur Livius Curtius, Tacitus Ammianus. Livius undecies [5]) de pugnantium catervis disserens voce *globi* utitur, plerumque ita, ut genitivus numeri pluralis, veluti iuvenum, hominum, armatorum, mulierum, pugnantium inde pendeat. Quem vocis *‚globi‘* usum neque Cicero neque Caesar neque Sallustius noverunt. Posteriore aetate vocabulum adeo genuina significatione carere videmus, ut Oros. II 18 § 4 Z. e. g. dicere audeat: globos miseriarum, III 23 § 3 bellorum globi. v. II 2 p. 41. (cf. Gell. 10, 9, 1. Veg. p. 105, 15 L[2] in ann. Fleck. suppl. 26, 369). v. II 2 p. 41.

[1]) Cf. Thes. II 23.

[2]) Cf. sub Vergilianis ad decl. I 7 p. 20 adn. 2.

[3]) De *‚cumque‘* a pronomine separato nuper egit Fr. Skutsch (Festschrift f. C. F. W. Müller, Leipz. 1900) ann. Fleckeis. suppl. XXVII p. 86.

[4]) Cf. Weyman, Arch. VIII 293. Amm. Marc. 16, 12, 37. 17, 12, 10.

[5]) Cf. Stacey, Arch. X 42.

DECLAMATIO IV.

c. 2 p. 85 *si qua est fides* - v. I 5 p. 10.

c. 3 p. 85 *praesagium* (praesagum *B*, praesagium *ceteri*, *Burm.*) ‚*praesagum*' adiectivum, quod primus exhibet Vergilius Aen. X 177. 843, ex optimi cod. Bambergensis fide restituendum esse patet.

c. 3 p. 86 *digestis* sideribus *in numeros* — Aen. III 445 sq. Quaecumque in foliis descripsit carmina virgo *Digerit in numerum.*

c. 4 p. 86 *fatorum arcana* [1]). Ad ipsum verborum ordinem convenit hoc lumen locutioni Vergilianae: *fatorum arcana* (Aen. I 262. VII 123). cf. Aen. VI 72 *arcana*que *fata.* Lucan. V 137 farique satest *arcana futuri.* Hor. c. I 28, 9. *Iovis arcanis,* quem ad locum Weyman (Bemerkungen zu Horaz l. l. p. 238) adnotat Stat. Theb. VIII 279 *arcana deorum.* Eadem porro locutio invenitur Apul. met. II 12 Chaldaeus quidam . . . *arcana fatorum* stipibus emerendis edicit in vulgus. Qui manifestus Pseudoquintiliani et Apulei consensus etsi eo facile intellegi potest, quod utrumque e Vergilio dicas lumen in suum usum convertisse, tamen dignus est, qui similium locorum indici inseratur [2]).

c. 4 p. 87 *deos testor* (etiam V 21 p. 125. VI 5 p. 131. IX 4 p. 193. 8 p. 196. XII 8 p. 248. XVIII 4 p. 353). Quae locutio conferatur Vergili versibus: Aen. IV 492 *testor,* cara, *deos* . . ; Aen. XII 581 *testatur*que *deos.* ‚*testor*' invenias quoque XII 4 p. 244. XVI 9 p. 330. Inde etiam IV 21 p. 102 aptius legitur ‚praedico testor' quam ‚protestor'.

c. 5 p. 87 *fugientis animae* — v. II 18 p. 55.

c. 5 p. 87 *hostium globos* — v. III 19 p. 75.

[1]) Thes. II 436.

[2]) Cf. Weyman, Studien zu Apuleius l. l p. 387 sq. Occasione oblata pauca declamationum Apuleique communia addimus:

decl. XV 11 p. 318 *onera* (Leibesbürde) = Apul met I 9 *onus.*

(cf. pondus uteri VI 10 p. 137. VIII 13 p. 178. XVI 2 p 323. = Apul met. I 9 sarcina praegnationis)

XVI 11 p. 331 iam *satiavit dolorem* mater = Apul. met. VIII 8 priusquam *dolorem* lacrimae *satiarent.*

XVII 6 p. 338 filium *proturbare* conaris e *domo (proturbare* XVII 19, 349) = Apul. met II 26 *domo proturbor.* IX 28 eam protinus de sua *proturbavit domo.*

c. 5 p. 87 *victricibus telis* — Aen. III 54 *victricia*que *arma* secutus, quo loco primo (cf. Neue II[3] p. 40 sq. Reisig-Haase [Hagen] I § 104 adn. 176 g) femininum ‚*victrices*' nomini generis neutrius adiectum est. Serv. ad hunc locum adnotat: *victricia* — omnia nomina a verbo venientia cum in ‚or' exeunt, masculina sunt, ut victor, cum in ‚trix', feminina sunt, ut victrix; neutra vero non faciunt nisi tantum ex numero plurali, unde est victricia.

c. 8 p. 91 *vitae* voluptates, *gaudia* lucis — Aen. XI 180 non *vitae gaudia* quaero. cf. XVIII 17 p. 363 taedium lucis invisae.

c. 8 p. 91 *rorantia* hostili *cruore* arma — *rorare sanguine* Aen. VIII 645. XI 8. XII 512.

c. 10 p. 93 omnis nos hora per tacitos fallentesque cursus *applicat* (Thes. II 296) fato — Aen. I 616 quae vis immanibus *applicat* oris? Paul. Nol. ep. XXXVIII 7 p. 330, 22 H. ‚omnisque nos hora iudicio adplicat.'

c. 11. p. 93 cum *fortuna ruere* — Georg. I 199 sq. sic omnia *fatis* In peius *ruere.*

c. 11 p. 93 vultis exspectem, ut . . . hae laudatae manus *nec* ad quotidianae vitae ministeria sufficiant? nec *ne-quidem* saepius in declamationibus occurrit, veluti IV 15, 97. V 3, 106. VI 18, 146. 20, 148. VIII 1, 165. 10, 175. 17, 184. Notatu dignum est Vergilium quoque Ecl. III 102. Georg. III 548 hunc particulae ‚*neque*' usum novisse. Plura in hanc rem disseruerunt Reisig-Haase (Schmalz-Landgraf) III § 245 adn. 417. § 323 adn. 494. Quamquam praeter hoc ‚*nec, neque*' ‚ne-quidem' in declamationibus eadem significatione adhibentur: ne-quidem, nec-saltem V 23, 126. VI 20, 148; quoque-non II 9, 46; non saltem II 14, 52 (cf. Hildebrand, Apul. met. IX 36).

c. 13 p. 95. Ubi de mundi magnitudine ac varietate disseritur, complura de Vergiliana simili descriptione Aen. VI 724 sqq. (Georg. IV 219 sqq.) mutuari scriptorem videmus. Ita quidem ‚*igneus vigor*' [1]) ex Aen. VI 730 sumptum est, ubi legitur: *Igneus* est illis *vigor* et caelestis origo Seminibus . . . ceterum cf. Ha. p. 57. *flammeus vigor* X 17, 229. nitor igneus Amm. Marc. XXV 2, 5.

[1]) De vocabulo ‚*vigoris*' cf. Arch. X 46. E. Norden ad Aen. VI 730

c. 13 p. 96 In caelo depingendo Vergili vestigia scriptorem pressisse haec demonstrent: *fulgentia sidera* Aen. XI 202 *stellis ardentibus (Ribb., fulgentibus* c. *R.* cf. III c. 12 p. 69 *‚horrentis'). toto caelo* - Georg. I 474. Aen. VIII 427. XII 283. in*fixa*(ac cohaerentia) Aen. V 527 re*fixa* .Phil. 61 (1902) 476.

c. 14 p. 96 *defectiones siderum laboresque* — Georg. II 478 *Defectus solis* varios *lunae*que *labores.* Aen. I 742 solisque *labores* [1]).

c. 16 p. 98 languit iubar [2]) vergentis in proclive mundi: *hebescentibus tardior* membris similis *senectae* iuventa pigrescet — Aen. V 395 sq. *tardante senecta* sanguis *hebet; tarda senectus* Aen. VIII 508. IX 610. Tib. Hor. Ovid.

c. 16 p. 98 *pelagi fragor* et conscium *nemorum murmur* — Aen. I 154 sic cunctus *pelagi* cecidit *fragor* [3]). Georg. I 358 sq. *fragor . . . nemorum . . . murmur.*

c. 17 p. 99 *agebat ante* se — v. II 18 p. 55.

c. 20 p. 101 dexteram non retinere *sufficio* (idem ‚sufficere' c. inf. VIII 6 p. 170. 7 p. 172. XIX 2 p. 365. 5 p. 367) — Primus hoc verbum cum infinitivo coniungit Vergilius Aen. V 22 (Draeger II^2 302 § 412).

DECLAMATIO V.

c. 4 p. 108 *manibus* (manes) *filii* — Praeter hunc locum quater in decll. (V 23 p. 126. X 19 p. 231. XVIII 17 p. 363. XIX 16 p. 376) vocabulum *manium* ita usurpatum est, ut ad *unius* hominis mortui *animam* pertineat. Qui usus insolens primo, quantum video, obvius apud Vergilium, plurimarum rerum novarum inventorem: Aen. IV 427. VI 119. (III 303?). Maronis vestigiis hoc quoque in genere primum institisse Livium (III 58, 11 manes Virginiae, XXI 10, 3) Stacey l. l. non commemoravit. Reliquorum, quibus eodem modo

[1]) Hunc versum Iordanem Get. 70 ob oculos habuisse, cum scriberet: *lunae* incommoda . *solis labores,* Woelfflin in archiv. XI 363 demonstravit. cf. Min. Fel Oct. 17, 5 *luna . . . labore.* Iuv. VI 443.

[2]) Sic cum Hammero (BPhW 1899 col. 522) locum corruptum restituendum esse puto. at cf. Dess. p 91 et Lehnertum in ‚Philologi' volumine LXII (1903) p. 440.

[3]) Cf. Amm. Marc. XIV 8, 5 *pelagi fragoribus.*

vox adhibetur, locorum indici non ita amplo Steudingius (in Roscheri lex. II 2 c. 2320) hos Pseudoquintilianeos adicere et potuit et debuit. Ceterum videas Wissowae librum recentissimum ac perdiu desideratum, qui est de cultu ac religionibus Romanorum (I. de Mueller, ‚Handbuch' V 4) p. 192 sq. cf. E. Norden, Verg. Aen. VI p. 32 sq.

c. 5 p. 108 *fateor* — (v. V 18 p. 121. 20 p. 123. XVII 3 p. 335 saepius). Mirum in modum hoc quoque verbi ‚fatendi' usu parenthesis more sermoni inserti cum Vergiliano genere dicendi declamationes consentiunt: cf. Aen. II 134 Eripui, *fateor,* leto me et vincula rupi. Aen. XII 813. cf. Antoine, Revue des Études anciennes I (1899) 293.

c. 9 p. 112 riget *squalidi* capitis *concreta* canities (‚παρόμοιον' Arch. XIII 584) — Aen. II 277 *squalentem* barbam et *concretos* sanguine crines. v. III 6 p. 64. VIII 8 p. 173. v. Excursus I.

c. 10 p. 113 pro duobus *maria conscendi* — Aen. I 381 . . . *conscendi* navibus *aequor.* Itaque Burmanni emendatio ‚*transcendi*' caduca est. Porro non est, quod ‚conscendere undas' (Tibull. 1, 3, 37) in dubium vocetur. v. IX 4 p. 193.

c. 14 p. 117 revereamur *suprema cineris* — Aen. X 59 *supremos cineres.*

c. 15 p. 118 *genus omne* miserorum — cf. Georg. III 541 *genus omne* natantum. Georg. IV 223 *genus omne* ferarum. v. XIII 8, 282 *omne* pecudum *genus.* cf. Woelfflin, archiv. V 394 sq. Weyman, ibid. I 590 sq.

c. 15 p. 118 *profunda* licet *carceris nocte* membra *claudantur.* Una ex parte cf. Aen. IV 26. VI 462 *noctem profundam,* altera Aen. VI 734, ubi de animis dicitur: (neque auras dispiciunt) *clausae* tenebris et *carcere* caeco. v. V 16 p. 119. VIII 8 p. 173.

c. 16 p. 119. Tota haec pars (Iacet — languentis) poetico colore ita fucata est, ut non facile dictu sit, unde singulas voces locutionesque scriptor sumpserit. Maris enim terrorum enarrationem ab innumeris poëtis temptatam ipsi rhetores latini unice adamaverunt [1]). Itaque mirum non est, quod et

[1]) Cf. Friedländer III[6] 392. Morawski, de rhett. latt. obss. Crac. 1892 l. l. p. 383 sq. E. Norden, Kunstprosa I 286. E. Rohde, D. griech. Roman[2] 310 sqq.

harum declamationum auctori rem arrisisse videmus. (cf. similes enarrationes VI 3/4 p. 130. IX 4 p. 193. XII 16 p. 257.) *minantibus scopulis illisa* tempestas (cf. VI 23 p. 150 corpus tot *illisum scopulis*) — Aen. I 162 *minantur . . . scopuli.* Georg. III 261 sq. *scopulis illisa* reclamant aequora. *spiritus* solus *intus* vivit — Aen. VI 726 . . . *spiritus intus* alit. Min. Fel. Oct. 19, 2 spiritus intus alit.

c. 16 p. 120 *silentia sollicita* — v. II 18 p. 54.

c. 18 p. 121 *fateor* — v. V 5 p. 108.

c. 20 p. 123 *spiritu-collecto* — v. II 11 p. 48.

c. 20 p. 123 *fateor* — v. V 5 p. 108.

c. 20 p. 123 *attolle oculos* — ‚*attollere* [1]) *oculos*‘ Vergiliana (Aen. IV 688) locutio est, qua Livius Maronis exemplum secutus pro sollemni ‚oculos tollendi‘ locutione in prima illa decade poetico colore abunde imbuta bis utitur: VI 16, 3 nec . . . aut tribunus plebis aut ipsa plebs attollere oculos audebant et IX 6, 8, (etiam fragm. 50 W. [2]). Saepius occurrit apud scriptores argenteae aetatis, velut Sen. suas. VI 17 vix attollentes (prae) lacrimis oculos (Arch. IV 163).

c. 20 p. 124 *suprema sorte* collabens — Aen. V 190 *sorte suprema.*

c. 21 p. 125 *testor* (v. IV 4 p. 87) *infernarum* [3]) *sedium* deos Aen. VIII 244 *infernas-sedes.* v. VI 11 p. 138.

c. 22 p. 125 *umeros* posco, quibus *incumbam* — Aen. V 325 *incumbens umero.* decl. I 6 p. 15 umeris . . . incumbet?

c. 23 p. 126 infelicis illius *manes* — v. V 4 p. 108.

DECLAMATIO VI.

c. 5 p. 131 *testor deos* — IV 4 p. 87.

c. 6 p. 133 *‚nefas‘* more interiectionis sermoni insertum Vergilius primus (Aen. VII 73. X 673. VIII 688) eumque secutus Horatius c. III 24, 30. IV 6, 17 *(heu nefas!)* adhibent. Quod et Floro hunc vocis usum arrisisse videmus, (veluti I 35 [II 20], 7 p. 85, 20 R), haec quoque res ut multae aliae a Schmidingero collectae imitationi Vergilianae adnumeranda videtur.

[1]) Cf. Thes. II 1149 sq
[2]) Cf. Arch. X 48.
[3]) Ad adiectivum ‚infernus‘ cf. Leo, Arch. X 436.

c. 6 p. 133 postquam *mei cura* discesserat - Aen. II 595 Quid furis aut quonam *nostri* tibi *cura* recessit?

c. 7 p. 133 *curva litora* et *immensum sideribus fretum* et *turritos* [1]) urbium *scopulos retro lego — curva litora*: Aen. III 16. 223. 238. 643. X 684. XI 184. cf. XII 18 p. 258 per omnes *curvatorum litorum* ambitus. Min. Fel. Oct. 3, 4. curvi litoris. *turritos scopulos* -- Aen. III 536. Schultingi coniectura, qua, ‚*im*mensum' voluit mutari in ‚*em*ensum', haud scio an firmanda sit Aen. V 627 sq.: Cum *freta,* cum terras omnis tot inhospita saxa *Sidera*que *emensae* ferimur . . . , cum praesertim ex ipsis declamationibus loci similes peti possint hi: VIII 13 p. 178 *emensus* orientis occidentisque *cursus.* XII 16 p. 257 *remensum* toties *mare.* Itaque mihi quidem coniectura ‚*emensum*' multo probabilior videtur quam illud ‚*immensum*', quod cum Vergilius ipse aliique exhibeant cum ‚maris' vocabulo coniunctum (velut G. II 541 Aen. VI 355) facilius erat ad intellegendum. Locutio vero ‚*retro legendi*' non solum ‚poëticum', ut ait Ritter l. l. p. 37, ‚colorem' prae se fert, sed ex ipso Vergilio prompta, qui Aen. IX 392 scripsit: simul et vestigia *retro* observata *legit.* Quod ad verbum ‚*legendi*', cui accedit plerumque obiectum ‚litus vel litora', ut figura adnominationis evadat [2]), pro ‚praetervehendi' verbo positum attinet, Vergili exemplum (Ecl. VIII 7. Georg. II 44. Aen. III 292) secutos videmus [3]) Liv. XXI 51, 7 oram Italiae legens; XXXV 27, 6 litora legens; XXXVI 21, 5 litora legit. Tacit. Agr. 38, 19 litore lecto. Curt. X 1, 16 terram legere. Suet. III 11. cf. XII 18 p. 258 terram legis.

c. 10 p. 137 (mulier illa), saeculi *decus* [4]) (IX 22, 210). Quae vocabuli ‚*decoris*' in homines translatio, quae eadem in Flori epit. II 9 (III 21) p. 129, 20 R invenitur (decora et ornamenta saeculi sui, Marius et Sylla) non est, ut opinatur Egenus, De Floro historico elocutionis Taciteae

[1]) Ad ‚turritus' cf. E. Norden l. l. p. 315, ad ‚curva litora' Arch. III 123.
[2]) Cf. Keller, Gr. Aufs., p 61.
[3]) Cf Schmaus l. l. p. 38
[4]) Apul. met. IV 29 saeculi specimen. IV 21.

imitatore (diss. Monast. 1882), p. 9, ad Tacitum hist. II 81 (e Iudaico exercitu lecta decora) referenda, praesertim cum Liv. III 19, 5 (intra primam decadem!) ‚omnia iuventutis decora' praebeat, sed hic vocabuli usus, id quod Schmidingerus l. l. p. 798 suo iure monuit, est Vergilianus. Veluti legitur Aen. VI 546 (de Aenea): i *decus*, i nostrum! Aen. IX 18 Iri, *decus* caeli. G. II 40 o *decus* [1]) (= Maecenas?) Ribb. v. IX 22 p. 210.

c. 11 p. 138 ad *infernas sedes* — v. V 21 p. 125. unus hic *luce viduis* honos — Ps.-Verg. Cul. 373 cogor adire lacus, *viduos*, a, *lumine* Phoebi. cf. Georg. IV 255 corpora *luce carentum*.

c. 11 p. 138 suprema face, ut vates ferunt, petitam *ulterioris ripae* stationem contingunt — *ulterior ripa* („Jenseits") — Aen. VI 314 tendebantque manus *ripae ulterioris* amore. Apul. met. VI 18.

c. 11 p. 138 (miseratio) *cogitationi* nostrae *subit* — Hoc loco verbum ‚*subeundi*' cum *dativo* coniunctum admonet Vergili versus Aen. VIII 125 progressi *subeunt luco;* itaque non dubitamus illud quoque enuntiatum XII 7 p. 247: subeuntes insolit*os* cib*os* (codd. dett. Burm.) in ‚insolit*is* cib*is*' mutare. cf. E. Norden ad Aen. VI 222 sq.

c. 14 p. 141 neque *pede*, quod aiunt, *uno* a *patre discessi* (cf. VI 20 p. 148) — Locutionem hanc esse proverbialem e verbis ‚quod aiunt' additis (quibus declamationum scriptor in proverbiis inserendis alibi [velut XII 11 p. 252] utitur) satis elucet. Plura huius locutionis exempla Ottonis [2]) in libro invenies s. v. pes 5. Hoc loco inter Vergiliana de proverbio ideo nobis scribere liceat, quod apud poetam simili forma ac sensu Aenean audimus loquentem Aen. II 657 sq. Men *efferre pedem, genitor,* te posse relicto Sperasti, tantumque nefas patrio excidit ore? v. Excursus II, ubi alia proverbia declamationibus inserta explanabimus.

[1]) Cf. etiam ea quae C. Weyman (Bemerkgn. zu Horaz, Bl. f. d. Gymn.-Schulw 1902 p. 227) adnotavit ad Hor. c. I 1, 2: ‚Maecenas atavis edite regibus,) O et praesidium et dulce *decus* meum

[2]) A. Otto, Die Sprichw. u. sprichwörtl. Redensart. der Römer, Leipz. 1890.

c. 17 p. 145 *dono deum* — Aen. II 269 *dono divum* (cf. Arch. X 23).

c. 17 p. 145 hiberni nos *ferunt* (codd. omnes. *feriunt* Burm.) *venti* — Aen. III 473 *vento . . . ferenti.* Aen. IV 430 *ventos*que *ferentis.*

c. 18 p. 146 revinctas *post tergum* manus — Ad firmandam Dessaveri (p. 72) coniecturam ‚*pone terga*' codicum lectionibus (ponet ergo *B.* [– add. m.[2]] pene tergo *V.* pone tergum *Paris. 1618)* recte perspectis et Vergiliano loco Aen. II 57 [1]) abunde subnixam hunc Ammiani locum afferre licet XXIX 5, 47: occultatis *pone terga* subsidialibus globis (Arch. X 124); pluralem enim poeticum ‚*terga*' (cf. Keller l. l. p. 203) elegiacorum poetarum auctoritate et apud rerum scriptores sollemnem fuisse [2]), hi fere loci demonstrent: Suet. Vit. 17 religatis *post terga* manibus. Lact. II p. 178, 19 B. iubebat *eum terga* praebere [3]).

c. 22 p. 149 *te* quidem, iuvenis, . . . in ipsa *astra sublimem* pennata virtus *feret — sublime* cod. deterior unus, Schult. Quo loco non tam illa quae Burm. attulit Horatiana (c. II 2, 7. 20, 1. III 2, 23) scriptor secutus esse videtur quam Aen. I 259 sq., ubi Cytheream his verbis Iuppiter alloquitur: *sublimem*que *feres* ad *sidera* caeli magnanimum *Aenean* . . . , cui loco cf. Ecl. IX 29. Aen. X 144. XI 67. 722. Hic locus Pseudoquintilianeus illi Vergilianae lectioni ‚sublime*m*' firmamento esse potest, quam lectionem pro adverbio ‚sublime*n*' [4]) per aliquantum temporis (cf. magn. edit. Lips. ao. 1859 edit.) servato Ribbeckius omnibus Aeneidos locis restituit. cf. etiam E. Norden ad Verg. Aen. VI 720.

c. 22 p. 150 *secura otia* — G. III 376 *secura otia* agunt.

c. 23 p. 150 corpus tot *illisum scopulis* — v. V 16 p. 119.

c. 23 p. 151 *edaces flammas* — Aen. II 758 *ignis edax* (Ov. met. IX 202).

---

[1]) Mendo typographico ‚37' apud Dess. 72 legitur.

[2]) Cf. P. Maas, Stud. z. poetischen Plur. bei den Römern, Arch. XII 533. 537 sqq.

[3]) Cf quoque A. Zingerle, Ovid u sein Verh. zu den Vorg. u. gleichz. röm. Dicht. III 33.

[4]) Hoc adverbium nunquam fuisse W. Heraeus (Philol. N. F. 9 (1896) p. 197 sq. inpr. 202 demonstravit

DECLAMATIO VII.

c. 3 p. 154 *stricto mucrone* — Aen. II 449 *strictis mucronibus.* Aen. X 652. XII 663. v. XVII 15 p. 345 super *strictum-mucronem.* cf. III 7 p. 65.

c. 3 p. 154 *stupentibus attonitis*que [1]) miseris — Georg. II 508 hic *stupet attonitus.* v. II 2 p. 40.

DECLAMATIO VIII.

c. 3 p. 167 ille *indiscretus* ab utroque latere comitatus, ille gaudentium *dulcis error* oculorum (h. e. *gemini*) — Aen. X 390 sqq. Vos etiam, *gemini,* Rutulis cecidistis in agris, Daucia, Laride, Thymberque, simillima proles, *Indiscreta* suis *gratus*que parentibus *error.*

c. 4 p. 168 *adacta*[2]) est . . . discedere — verbo *adigendi* primus adicit infinitivum ex eo pendentem Maro Aen. VI 696. VII 112 sq. (Draeger II[2] 329 § 417).

c. 5 p. 169 *labentes oculi* (morientium) — cf. lumina cadentia II 24 p. 59,[3]); oculi cadentes XVI 11 p. 331; nutantes X 4 p. 216 — Aen. XI 818 . . . *labuntur* frigida leto *lumina.* labi (simili sensu) V 16 p. 119. VIII 13 p. 179. XII 10 p. 250.

c. 6 p. 170 *sufficere* c. *inf.* — v. IV 20 p. 101.

c. 7 p. 172 *sufficere* c. *inf.* — v. IV 20 p. 101.

c. 8 p. 173 in *profunda nocte* — v. V 15 p. 118.

c. 8 p. 173 ille *anheli pectoris* pallor — Aen. VI 48 *pectus anhelum.* cf. Arnob. p. 13, 22 R ut . . . aestuet anhelum pectus. Plura invenies in Thes. II 68 s. v. anhelus.

c. 8 p. 173 diutino *squalore concreta* facies — v. III 6 p. 64. V 9 p. 112.

c. 11 p. 176 plura seu *rariora* semina - *rari* pauci Ecl. VI 40. Aen. VIII 98 alibi. v. XII 2 p. 242.

c. 20 p. 186 stat iuxta medicum pater *apertis visceribus inhians* — De Didone immolante poeta Aen. IV 63 sq.: Instauratque diem donis pecudumque *reclusis Pectoribus inhians* spirantia consulit exta.

[1]) Cf. Thes. II 1154.
[2]) Cf. Thes. I 678.
[3]) Cf. Lehnertum in ‚Philologi' volumine LXII (1903) p. 439.

DECLAMATIO IX.

3 p. 193 *molliores* tentavit *aditus* [1]) — Aen. IV 293 sq. Temptaturum *aditus* et quae *mollissima* fandi tempora . . . Aen. IV 423 *mollis aditus* [2]). v. IX 2 p. 191 faciles aditus . . . capto.

4 p. 193 *mare intravi* [3]) — Aen. VI 59 tot *maria intravi*. cf. maria ingredi VI 21 p. 149. cf. Arch. XII 192. intrare maria IX 20 p. 208. cf. E. Norden, Aen. VI 723 sqq. v. V 10 p. 113.

4 p. 193 de periculis maritimis supra V 16 p. 119 dictum est. *Albentis fluctibus* scopulos — Georg. III 237 *Fluctus* uti medio coepit cum *albescere* ponto. Aen. VII 528.

4 p. 193 *testor deos* — v. IV 4 p. 87.

5. p. 193 dicam nunc ego, . . . quos *accesserit* [4]) *scopulos*, quantos *lustraverit sinus* [3]) — Aen. I 201 *accestis scopulos* (Ha. p. 13). cf. *aequora lustrare* Aen. III 377 sq. 385.

5 p. 194 *in* omnia praeceps *abiit* — v. II 21 p. 57.

5 p. 194 inter *debita* noxae mancipia — ‚*debita*' quod contra codicum omnium fidem et sine causa Gronovius in ‚*dedita*' mutari voluit, a Burmanno iure defensum videtur. cf. Aen. VIII 374 sq. Dum bello Argolici vastabant Pergama reges *Debita* casurasque inimicis ignibus arces. Aen. VI 714 corpora *debentur* (fato). v. IX 9 p. 198 at ego, qui *debebar* illi fortunae.

6 p. 194 et *iam dies aderat iamque* . . . convenerat — Aen. II 132 *iamque dies* infanda *aderat*. cf. Aen. V 104. IX 107. v. X 6 p. 217 iam nox altera aderat. E. Norden l. l. p. 395.

6 p. 195 *ferrum acuebat* — Aen. VIII 386 *ferrum acuant*.

6 p. 195 sonabant *clangore* ferali *tubae* — *tubarum clangor* Aen. II 313. VIII 526. XI 192.

7 p. 195 *si ulla miseris fides* est — v. I 5 p. 10.

7 p. 195 inopinata subito amici mei *species offulsit* [5]) (effulsit *BM* effulxit *P* offulsit *Burm. vulg.*). Eadem verborum

[1]) Cf. Thes. I 693 sqq.
[2]) Cf ad hunc locum Kvičala, Neue Beiträge z Erkl d. Aeneis, Prag 1881, p. 121.
[3]) Cf. ambulare maria (θάλασσαν πεζεύειν), Reisig-Haase III § 386 adn. 559.
[4]) Cf. Thes. I 253 sqq.
[5]) Cf. Es glänzen die Wolken, es teilt sich der Flor, Da *scheint uns ein Bildchen,* ein göttliches, *vor.* Goethe, Ergo bibamus.

*ef*fulgendi et *of*fulg. [1]) confusio in Vergili libris obvia est: Aen. IX 110 hic primum nova lux oculis *offulsit;* Aen. IX 731 continuo nova lux oculis effulsit. cf. Serv. Aen. IX 110. decl. XII 4 p. 244 offulsit lucrum.

c. 7 p. 195 *obstupui* [2]) totumque corpus percurrit *frigidus pavor* neque aliter quam si vana obiceretur oculis imago mente captus *steti* — Hoc loco scriptori Vergili versum Aen. II 774 (= III 48) obversatum esse Hammer p. 13 monuit: *obstupui steteunt*que comae et vox faucibus haesit. cf. Aen. III 29 *frigidus horror.* v. II 2 p. 40.

c. 7 p. 195 ubi primum *lux rediit laxatum*que est *iter voci* — Duo hoc loco Vergiliana petita ex Aen. XII 669: ut primum discussae umbrae et *lux reddita* menti et Aen. XI 151: et *via* vix tandem *voci laxata* dolorest. cf. Amm. Marc. XXX 6, 3 vitalique *via voce*que simul obstructa.

c. 8 p. 196 testor deos — v. IV 4 p. 87.

c. 8 p. 197 male *aptatis* [3]) *insignibus* — Aen. II 389 sq. mutemus clipeos Danaumque *insignia* nobis *Aptemus.*

c. 9 p. 197 per hanc mihi *lucem ultimam* — Aen. II 668 vocat *lux ultima* victos.

c. 9 p. 197 *suprema per galeam* dederam *oscula* — Aen. XII 434 (Aeneas cum Turno certaturus) *summa*que *per galeam* delibans *oscula* fatur. cf. Ov. met. VI 278 (de Niobe) *oscula* dispensat natos *suprema* per omnes. v. Excursus III.

c. 9 p. 198 *debebar* illi *fortunae* — Aen. XI 759 *fatis debitus* Arruns. Aen. VII 120 *fatis* mihi *debita* tellus. v. IX 5 p. 194.

c. 10 p. 198 si qua est fides - v. I 5 p. 10.

c. 12 p. 200 *insanos* pertuli *fluctus* — *‚insanos‘* quod vocat rhetor maris fluctus, Vergili locutionem eum secutum patet: Ecl. IX 43 *insani* feriant sine litora *fluctus.*

c. 17 p. 205 *‚aurata‘* illa *‚laquearia‘* levi mutatione facta ex Aen. I 726 petita sunt: dependent lychni *laquearibus aureis. ‚laquear‘* primus praebet Vergilius (Ladewig - Schaper [11] l. l. p. 286). cf. Arnob. p. 216, 16 sqq. R sint ergo haec

[1]) Utrumque verbum primo a Vergilio adhibetur. cf Ladewig-Schaper (ed. Deuticke), Vergils Gedichte II[11] p. 285 sq.
[2]) obst*u*pui obst*i*pui: v. Georges, Lex. der Lat. Wortform. s. v obstupesco.
[3]) Cf. Thes. II 323 sqq.

licet aut ex molibus marmoreis structa, *laquearibus* aut renideant *aureis* . . . , terra sunt haec omnia.

20 p. 208 intrare maria — v. IX 4 p. 193. V 10 p. 113.

21 p. 209 *tenacioribus* beneficiorum *vinculis* — ‚tenax' epitheton vinculis inditur Georg. IV 412 *tenacia vincla.* v. XIII 18 p. 293.

21 p. 209 *fundenda vita cum sanguine* — Locutio mutato vocabulorum ordine sumpta ex Aen. II 532: Concidit ac multo *vitam cum sanguine fudit.* Aen. IV 621 (vocem) *cum sanguine fundo.*

22 p. 210 *recepit pectore adverso ferrum,* ut quasi quam *emittebat animam* in meum *pectus* transfunderet — Quo in enuntiato formando haud scio an Verg. versus Aen. IX 347 sqq. scriptor ante oculos habuerit: *Pectore* in *adverso* totum cui comminus *ensem* Condidit assurgenti et multa morte *recepit;* Purpuream *vomit* ille *animam* . cf. Aen. VI 111. X 383.

22 p. 210 *saeculi decus* — v. VI 10 p. 137.

DECLAMATIO X.

rgum. p. 212 filium nocte *videbat in somnis* ‚*videre in somnis*', locutio Enniana a Vergilio recepta, invenitur Aen. II 270. III 151 (Arch. X 24).

1 p. 212 ante se egerunt — v. II 18 p. 55.

1 p. 213 *levis imago* — Aen. X 663 Tum *levis* haud ultra latebras iam quaerit *imago.* cf. vana imago IX 7 p. 195.

3 p. 215 super *ora pallentis* infelices lacerabat oculos ‚*ora*' pluralis, qui dicitur, poëticus [1]), (poëtarum elegiacorum inprimis proprius indeque in prosam translatus), cum metri causa plerumque in quinto hexametri pede occurrat, aptius pluralis metricus appellatur. E declamationibus haec e. g. proferimus: *sepulcra* X 8 p. 220. *ora* = os X 13 p. 225. *bella* = bellum XI 3 p. 234 (an = *proelia?* Arch. I 460. XII 572). *fata* — fatum, mors XII 14 p. 255. XVII 15 p.

1) Cf. O. Keller, Gramm. Aufs. 189 sqq., ad ‚ora' pp. 203. 215; ‚fata' pp. 161 adn. 2. 202. (Arch. I 134 gaudia = gaudium). Nunc conferas P. Maas, Arch XII p. 479 sqq.

344. *suprema* = mors XVII 15 p. 344. Quod ad verba ‚*ora pallentis*' attinet coniuncta, de Vergilianis admonere placet: Aen. III 217 *pallida . . . ora.* IV 499 *pallor* simul occupat *ora.*

c. 3 p. 215 nunc *siccata frustra* ubera querebatur Quae verba inter Vergiliana eo afferre audemus, quod poëta praecipuus particulas ‚*frustra*, nequiquam' aliasque idem valentis primus adiectivis vocabulisque adiectivi munere fungentibus adiecit. Itaque hic locus verborum quidem ordine proxime accedit ad Vergili versiculum Aen. II 348 *fortissima frustra* pectora. Illius usus plura exempla invenies apud Woelfflinium in archiv. II 11.

c. 4 p. 216 *nutantium* (codd. omnes) *oculorum* fulgor extremus. ‚*nutantium*' Gronovius in ‚*natantium*' mutandum esse coniecit. Quam ad firmandam coniecturam quamvis locos duos Vergilianos (Aen. V 856. Georg. IV 496 *natantia lumina,* inde Ovid. met. V 71 *oculis natantibus)* afferre possimus, minime tamen Gronovio assentimur, cum ipso verbo ‚*nutandi*' declamationum scriptorem usum esse videamus: II 16 p. 53 vestigia . . . incerta) *nutantia.* XII 17 p. 258 spes . . . quomodo *nutant?* Accedit, quod epitheton ‚*nutantium*' oculis inditum magis mihi sermoni convenire videtur, quo morientium oculi alibi declamationum describuntur. Ita quidem legitur VIII 5 p. 169 *labentes* oculi (cf. VIII 13 p. 179); XVI 11 p. 331 oculi *cadunt;* inde verissime II 24 p. 59 lumina *cadentia* (Rohde [2]) apud Ritterum l. l. 15).

c. 4 p. 216 illi vitae *calorem redisse* clamabat — cf. Georg. III 272 vere *calor redit* ossibus.

c. 4 p. 217 *altus sopor* Quae verba ordine genuino de industria verso perruptoque hexametri numero ex Aen. VIII 27 sumpta patet: alitum pecudumque genus *sopor altus* habebat. Commemorandum est ‚*altus*' adiectivum, ut Stacey (in archiv. X 49) observavit, ante Augusteorum aevum poëtarum cum vocabulo ‚*somni*' coniunctum non reperiri. Scilicet classicis qui vocantur scriptoribus unum

[1]) Sic enim distinguendum est, virgula post ‚nutantia', non post ‚incerta' posita. v. Caput II: Adnotationes criticae (VIII 21 p. 187).
[2]) Cf G. Lehnert, Philol. LXII (1903) p. 439.

‚soporis' vocabulum idem valuit quod haec duo ‚altus somnus' (veluti Hor. sat. II 1, 8) aut vero ‚altus sopor'.

c. 6 p. 217 iam nox altera aderat — v. IX 6 p. 194.

c. 6 p. 217 *fugatis sideribus* — cf. Aen. III 521 iamque rubescebat *stellis* Aurora *fugatis*. Aen. V 42 *stellas . . . fugarat* clara dies. (Ov. met. II 144. Zingerle l. l. II p. 63).

c. 7 p. 218 *finem imponere* (τελευτὴν ἐπιτιθέναι) Locutio argentea Latinarum litterarum aetate praeter optimam ‚*finem faciendi*' usurpatur, velut a Livio V 4. XXX 40. Quoniam in Aeneidos libris ter (II 619. IV 639. V 463) eam adhibitam videmus, ante Vergilium [1]) nusquam, hoc quoque Vergilianae auctoritatis exemplum afferre liceat.

c. 7 p. 219 *tacentibus tenebris* — cf. Aen. VI 265 loca *nocte tacentia* late. Aen. IV 257. Tac. hist. III 84 (Schmaus p. 22) tacentes loci. v. II 18 p. 54.

c. 7 p. 219 iam *medios* sidera tenent *cursus* — Aen. V 738 . . . torquet *medios* Nox humida *cursus*.

c. 7 p. 219 iam *maligna* mundus *luce* clarescit (cf. E. Norden, Aen. VI p. 206) — Aen. VI 270 quale per incertam lunam sub *luce maligna*. Hoc quoque loco, ut saepius supra vidimus, mutato vocabulorum ordine Vergilianum lumen ita sermoni insertum est, ut non iam hexametrum auribus cadentem audias ac nisi ex omni loci colore poëtico veram originem intellegere nequeamus [2]).

c. 8 p. 220 ‚*ferrea*' quod auctor vocat ‚*iura*' fatorum, Vergilium sequitur, qui Georg. II 500 sqq. haec dicit: Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura Sponte tulere sua, carpsit, nec *ferrea iura* Insanumque forum aut populi tabularia vidit.

c. 8 p. 220 filium tuum, mulier infelix, non impositae clusere terrae, nec *spissa* perpetuae *noctis* caligo compescuit, non fabulosa vatibus *palus* (cf. E. Norden l. l. p. 154) multumque celebrati *curvato igne torrentes* — Qui locus cum omnis sit habitu poëtico satis imbutus, tum ‚*spissa* p. *noctis* c.'

[1]) Post Vergilium ea locutione utuntur Ovidius (met 6, 240 15, 743), Iuvenalis, Curtius, Tacitus, Quintilianus.

[2]) Idem in Taciti libris invenies: H. Schmaus, Tacitus ein Nachahmer Vergils. Bamberg 1887. cf. etiam M. Ihm, Studia Ambrosiana (Annal. philol. suppl. XVII [1889] p. 83 sqq.)

admonet Aen. II 621 *spissis noctis* se condidit umbris. *Cocytus* autem, quem *paludem* illam fabulosam Burmannus suo iure intellegi vult, eodem vocabulo significatur Georg. IV 479 *Cocyti* tardaque *palus* inamabilis unda. cf. etiam Aen. VI 323 *Cocyti* stagna alta vides Stygiamque *paludem. curvato igne torrentes* — v. Excursus III: Horatiana X 8, 220.

c. 8 p. 220 21. *Ferro* vero ac lapidibus *artare* et, ut solent *bellicae* robur accipere *portae,* ipsam umbram iam catenis alligare, iam *claustris,* non dico crudele est e. q. s. — Hic locus eo plus habet delectationis, quod unus omnium maxime ostendit, et quam inepte imitatione poëtica aridus sermo interdum exornetur et quem in sententiarum conexum a genuino carminis abhorrentem transferri possit lumen poëticum. Nam quod Aen. I 291 sqq. poëta hominum satorem atque deorum de Romanorum beato aevo facit vaticinantem: Aspera tum positis mitescent saecula bellis; Cana Fides et Vesta, Remo cum fratre Quirinus Iura dabunt; dirae *ferro* et compagibus *artis Claudentur belli portae* . . . , idem paucis verbis mutatis aliisque substitutis de anima conclusa auctor dicere non dubitat. cf. etiam Aen. VII 607 sunt geminae *belli portae;* ad sententiam Aen. VI 552 sq. *Porta* adversa ingens, solidoque adamante columnae, Vis ut nulla virum, non ipsi excindere *bello* Caelicolae valeant. cf. Lucr. I 70 sq.

c. 11 p. 223 *placidam* quietem Aen. I 691. IV 522 sqq. Cir. 343. v. X 17 p. 230 *placidum* soporem.

c. 14 p. 225 *‚cineres et ossa‘* coniuncta invenimus Aen. V 55 ad *cineres* ipsius *et ossa* parentis. Aen. V 787 reliquias Troiae, *cineres atque ossa* peremptae. cf. X 15 p. 226. 16 p. 227.

c. 14 p. 226 *profani procul* erravere sedibus — Quo loco notam formulam, qua homines mysteriis non initiati prohiberentur, scriptori ob oculos versatam nemo negabit, illud dico (Aen. VI 258): *„procul* o *procul* este *profani!“* cf. E. Norden, Aeneis VI p. 136. 461.

c. 14 p. 226 numen et deus *delabi sideribus* et venire de *liquido puroque aëre* videbatur — Enuntiati forma et sententia admonemur Somni appropinquantis Aen. V 838 sq.: cum

levis *aetheriis delapsus* Somnus ab *astris Aëra* dimovet tenebrosum. cf. Aen. IV 574 deus *aethere* missus ab alto. *liquidus aër* [1]) — Georg. I 404. Aen. VI 202. *purus aër* — Georg. II 364. Ceterum cf. Otto, Sprichw. d. R. s. v. caelum 8 p. 62 et infra 'Excursus II' ad VI 14 p. 141.

c. 15 p. 226 cineres et ossa — v. X 14 p. 225.

c. 15 p. 227 ossa et cineres — v. X 14 p. 225.

c. 16 p. 228 exegerat ferrum — v. III 7 p. 65.

c. 17 p. 229 flammei vigoris impetus — v. IV 13 p. 95. Omnis huius loci *(animam* vero — meminisse) colorem prorsus poëticum esse cum nemo infitietur, tamen unde singulae voces locutionesque petitae sint, non ita facile dicas. Quod *animae* impetum perennitatemque ex igne sumi dicit, quo *sidera volent* et quo sacri *torqueantur axes, ‚sidera volantia'* Aen. V 528 (Georg. IV 226) et *‚axem torquens'* Aen. IV 482. VI 798 (Ov. met. 2, 296) [2]) ob oculos habuisse videtur. *anima* vero, quae levi se *igne lustrabit,* facile cum sole conferenda est, qui (Aen. IV 607) terrarum *flammis* opera omnia *lustrat,* et *‚manes* nocturnis *admonentes* praeceptis' hos versus spectare conicias Aen. IV 351 sqq. 353: *admonet* in somnis et turbida terret *imago,* id quod Burm. in repellenda coniectura *‚admovere'* recte observavit.

c. 17 p. 230 placidum soporem — Aen. IV 522 [3]). VIII 405. v. X 11 p. 223.

c. 18 p. 230 quando non erubuit matri fecisse terrorem — v. III 3 p. 62.

c. 19 p. 231 secura quies — Georg. II 467 secura quies.

c. 19 p. 231 manes — v. V 4 p. 108.

DECLAMATIO XI.

c. 3 p. 234 totam orbitatem in *bella* converti — *‚bella'* hic pro numero singulari *‚bellum'* haberi posse et supra (X 3 p. 215) demonstrare conati sumus et ex argumento declama-

[1]) Cf. Thes. I 1046 sqq.
[2]) Zingerle l. l. II 62.
[3]) Ex versibus Varronis Atacini (Kuičala l. l. p. 151): Desierant latrare canes urbesque silebant, Omnia noctis erant *placida* composta *quiete.*

tionis elucet, ubi legitur: *bellum* incidit civitati. Sed si haec interpretatio minus placeat, ‚*bella*' idem valere quod ‚*pugnae, certamina*' ex ipso Vergilio cognoscas: [1]) Aen. VIII 675 in medio (i. e. clipei) classis aeratas, *Actia bella,* cernere erat. cf. Tac. hist. I 1 postquam *bellatum* apud Actium. Arch. I 460. XII 572.

c. 10 p. 239 occidentur *uno* fortassis *ictu* — v. I 14 p. 34.

DECLAMATIO XII.

c. 2 p. 242 tam *rari* per vias *interlucent* (cf. Dess. 84) Aen. IX 507 sqq. Quaerunt pars aditum et scalis ascendere muros, Qua *rara* est acies *interlucet*que [2]) corona Non tam spissa viris. cf. Ecl. VI 40. v. VIII 11 p. 176.

c. 4 p. 244 *feralis annus* [3]) cf. Aen. III 138 sq. arboribus satisque lues et *letifer annus* (venit). cf. XII 5 p. 245 *pestifer annus.*

c. 4 p. 244 *offulsit* lucrum — v. IX 7 p. 195.

c. 4/5 p. 245. Famis enarratio scriptori iucundissimam occasionem praebet Vergili carminum notitiam prae se ferendi. Cum Aeneidos, ut semper fere, quasi thesauri ei patescant, tum e bucolicis et georgicis haud pauca videbimus excerpta. Quod radix ‚*levi rore*' evocata dicitur, ex Aen. VI 230, si discesseris ab ordine verborum, locutionem petitam patet: spargens *rore levi* et ramo felicis olivae. ‚*arentes*' [1]) autem ‚*campos*' (XII 4 p. 245. 7 p. 247) nil aliud esse quam ‚*arentes agros*' (Ecl. VII 57) sive ‚*arentia arva*' (Georg. I 110) facile nobis concedas, quippe qui saepius demonstraverimus non ad verbum inserere Vergiliana declamationum esse auctoris, sed de industria sive ordine verborum perfracto sive sua vocabula poeticis substituendo sive alia facta mutatione. ‚umbra *nubium pependit*' in transcursu nobis liceat conferre cum Georg. I 214 dum ‚*nubila pendent*'. ‚*spirandi*' deinde verbum sensu intransitivo de vento adhibetur Aen. V 844. Georg. IV 417. Aen. IX

[1]) v. XIII 3 p. 275 ‚bella.' — Carmen de *bello Actiaco.*
[2]) Verbum a Vergilio formatum est.
[3]) Cf. Tacit. ann. 4, 64.
[1]) Cf. Thes. II 504.

645. Enuntiatum porro cum scriberetur hoc: maturitatem *praecepit aestus,* dubium non est quin auctor in animo habuerit versum Ecl. III 98 si lac *praeceperit aestus.* Tum etiam ‚*ieiunae*' (c. 4 p. 245. XIII 2 p. 272) sensu adiectivi ‚*paucae*' usurpatum, cum totus huius partis color sapiat Vergilium, ad Georg. III 493 referatur (*ieiuna* sanie infuscatur arena), et enuntiatum ‚*vanis* tantum *aristis* spem *fefellerunt* (herbae)' ad Georg. I 226 exspectata seges *vanis* elusit *aristis.* Quod denique ad has tres locutiones attinet ‚*carpere arbusta, concutere quercum, legere fraga*', et hac ipsa ex compositione et Vergilianis tot praecedentibus tuo iure suspiceris Vergilium poëtam [1]) hac quoque in re fuisse exemplo. Atque primum quidem, ut ab ultima parte ordiamur, illud ‚*legere fraga*' invenitur Ecl. III 92 qui *legitis* flores et humi nascentia *fraga* — ‚*concutere quercum*' (mutatis vocabulis ‚quercus' et ‚ilicis') Georg. IV 81 nec de *concussa* tantum pluit *ilice* glandis. Itaque verisimillimum est et tertium membrum ‚*carpere arbusta*' ex Vergilio esse petitum. Quodsi eius carmina scrutaturi perlustramus, non tam locutionem ‚carpere arbusta' reperimus quam ‚*carpere arbuta*', ita quidem in Verg. Cul. 52 pendula proiectis *carpuntur* et *arbuta* ramis. Dubium non esse puto, quin haec Culicis scriptura contra declamationum fidem codicum in textum recipi debeat. Nam cum fructus silvestres quibus vesci licuit hominibus fame afflictis in enuntiati trimembris membris secundo et tertio enumerentur (*glandes* [concussae ilicis] — *fraga*), primo ipso quoque certum fructus genus appellari non possumus non suspicari. Atqui fructus illi *arbuta* sunt [2]); ‚sunt enim', ut ait Serv. Verg. georg. I 148, [3]) ‚rubra poma silvarum, quae Plinius unedones vocat.' Varro autem rust. II 1, 4 haec scripsit: ut arboribus ac virgultis (ac) decarpendo glandem arbutum (*arbustum* codd.), mora poma colligerent ad usum. Eadem denique et verborum *glandis arbuti* compositio et vocabulorum *arbuti-arbusti* confusio apud ipsum

[1]) Non Ovidium, ut opinatur C. Ritter p. 54; quos enim affert Ovidi versus (met. I 103—106), ipsos e Vergili carminibus sumptos esse non intellexit.
[2]) Cf. V. Hehn, Kulturpflanzen[5] (Berlin 1887) 329 sq.
[3]) Cf. Thes. II. 431.

Vergilium invenias Georg. I 148 glandes atque arbuta *(arbusta* R) et Georg. II 520 glande sues laeti redeunt, dant arbuta (*arbusta* P) silvae. Relinquitur ut eadem littera ‚*s*' (sive omissa sive addita) similem confusionem saepius in declamationibus evasisse dicamus, vocabula dico *oculi-osculi*, qua de re scripsit C. Weyman, Stud. zu Apul. l. l. p. 330 adn. 2.

c. 7 p. 247 per *arentes* effusi *campos* — v. XII 5 p. 245.

c. 7 p. 247 *morientium herbarum* radices *vellimus* — Ecl. VII 57 vitio *moriens* sitit aëris *herba.* Aen. III 650 et *volsis* pascunt *radicibus herbae.*

c. 7 p. 248 *amaros* (codd. omnes) fruticum *cortices* . . decerpimus. *amaros* quod auctor appellat *cortices*, versum Ecl. VI 62 sq. meminisse eum verisimile est: tum Phaëtontiadas musco circumdat *amarae corticis.* Haud sine causa accidisse videtur, ut (corticis) generi feminino masculinum substitueretur.[1]) cf. etiam Cul. 281 sq. silvaeque sonorae sponte sua cantus rapiebant *cortice avara* (*amara* cod. H.)

c. 8 p. 248 quos testor deos — v. IV 4 p. 87.

c. 8 p. 248 *si qua* est fides — v. I 5 p. 10.

c. 8 p. 248 *terram morientes momorderunt* — Liberius hoc loco scriptorem Aen. XI 418 imitatum esse patet: procubuit *moriens* et *humum* semel ore *momordit,* ubi Vergilius ipse Homerum[2]) secutus est: *B* 418 πρηνέες ἐν κονίῃσιν ὀδὰξ λαζοίατο γαῖαν. (W. Ribbeck, Vergili auctores et imit. p. 406). Ovid. met. IX 61 arenas ore momordi.

c. 8 p. 249 *ignea* fames — Georg. III 482 *ignea* sitis.

c. 9 p. 249 *rabidi super* cadavera *incubuimus* — cf. Aen. X 722 sqq., ubi de leone vesana fame agitato legimus 726: haeret visceribus *super incumbens. rabidam* vocat famem Verg. Aen. VI 421.

c. 13 p. 254. In famis miseria depingenda abunde Vergili vestigia pressa videmus. Quod *squalida* scriptor dicit esse *arva*, illa *arva,* quae *squalent* abductis colonis (Georg. I 507),

[1]) Cf. Georges, Wortf. s. v. cortex. Neue I 662.
[2]) Cf. J. Tolkiehn, Homer u. die röm. Poesie (Leipzig 1900) p. 94 sq.
[3]) Squalentes campi Sil. Ital. III 655. IV 374.

ei obversata esse concedes. Et cum nullum *inversis aratro glebis nitere campum* audimus, duo Vergiliana recordamur Aen. VI 677 *campos*que *nitentis* et Georg. III 525 sq. quid *vomere terras Invertisse* gravis (iuvat)? segetes vero quod dicuntur spinis *obsitae* (= plenae, refertae), Vergili auctoritas inde quoque elucet, qui quidem nomen *‚obsitus‘* adiectivum ter ea significatione translata usurpaverit (Aen. VII 790. VIII 307. Cul. 275).

c. 13 p. 254. *quae pars maxima est* — Quamvis exigua haec parenthesis omni vi ampliore carere videatur, ad imitandi rationem iudicandam multum tamen valet. Huic enim loco Aen. VI 611 exemplo fuisse mihi quidem patet; ibi legitur: *quae maxima turba est.* Sed ut vera luminis origo quam maxime obscuretur et evertatur hexametri numerus, non solum *turbae* vocabulum in *‚pars‘* mutatum, sed etiam ordo verborum, ut saepius vidimus, discissus et conversus est. Eadem hexametri clausula *‚quae maxima turba est‘* invenitur August. de util. cred. 2 p. 6, 27 Zycha, Claudian. Mam. p. 22, 2 Engelbrecht (Wien 1885), Sidon. carm. V 515. Est igitur communis quem A. Engelbrecht (Sitzungs-Ber. d. Wien. Akad. phil. Cl. CX [1885] 463) cogitavit fons Vergili Aen. VI 611. Quin etiam Dante huius versiculi recordatus esse videtur, cum scriberet Inf. VII 25: qui vid'io gente più che altrove troppa. Ceterum cf. E. Norden, Aen. VI p. 282.

c. 14 p. 255 fata — v. X 3 p. 215.

c. 15 p. 256 *desolatae* domus — *desolandi* verbum primus praebet Vergilius Aen. XI 367. 870. cf. Ladewig-Schaper II[11] p. 285.

c. 16 p. 257 *remensum* totiens *mare* — v. VI 7 p. 133. cf. Aen. III 143 *mari . . . remenso.* II 181 pelago remenso.

c. 16 p. 257 *plenis velis* mors venit — cf. Aen. I 400 et V 281, [1]) ubi locutio proverbialis proprio sensu adhibetur.

c. 16 p. 257. Maris periculorum enarratio cum omnium argenteae aetatis scriptorum materia sit iucundissima (v. supra V 16 p. 119), tum vividis Vergiliani sermonis coloribus hoc loco illustrata est. *‚caeruleus‘* ille *‚imber‘*, qui in naves ruit, occurrit Aen. III 194. V 10; conferas Aen. V 695

[1]) Adiciatur in Ottonis libro ‚proverbia Rom.‘, p. 363 adn.*): Aen. V 281.

ruit aethere toto turbidus *imber.* ‚*micantes*‘ deinde ‚*ignes caelum*que *intonans*‘ sumpta esse ex Aen. I 90 pateat: *intonuere poli* et crebris *micat ignibus aether* [1]). ‚*conditum*‘ denique ‚*sidus hibernum*‘ referatur ad Aen. V 126 *hiberna condunt* ubi *sidera* cori, cui versiculo conferas Aen. IV 309 *hiberno . . sidere.*

c. 17 p. 257 Atque iterum ad describendam famis atrocitatem conversus scriptor ‚*siccas*‘ quas exhibet ‚*fauces*‘ ex Aen. IX 64 (II 358), ‚*aegrum anhelitum*, qui os tendit‘ ex Aen. V 432 mutuatur (vastus quatit *aeger anhelitus* artus). Quod denique miseros illos ‚*auras captantes*‘ inducit, Georg. I 376 sequitur: *captavit* naribus *auras.*

c. 17 p. 258 te, te *expectantes intentis* oculis morimur cf. Aen. V 137 *intenti exspectant* signum.

c. 17 p. 258 *lucis odium* · v. XVIII 17 p. 363 *taedium lucis.*

c. 18 p. 258 per omnes *curvatorum litorum* ambitus terram legis — v. VI 7 p. 133.

c. 21 p. 262 *rapiemus* furentes arma *rapiendi* verbum (h. e. *raptim capiendi)* a Vergilio primo hoc modo usurpatur (Aen. VIII 220. XI 651. XII 330 alibi), quem usum Livium et Tacitum sibi vindicasse Schmaus l. l. p. 11 demonstravit.

c. 22 p. 264 ‚*inhospitales Syrtes*‘ [2]) non dubito ad Aen. IV 41 potius revocare quam, ut Ritter p. 54, ad Ovid. met. VIII 120 sq., quibus versibus Ovidius ipse quoque Vergili vestigia pressit. Utroque loco legitur ‚*inhospita Syrtis*‘. [3]) Quod ad ‚*inhospitales*‘ adiectivum attinet, etiam illa Horatiana (c. I 22, 5 sqq.) ad eligenda verba aliquid valuisse Rittero (p. 54) libenter concedo: sive per *Syrtis* iter aestuosas sive facturus per *inhospitalem* Caucasum e. q. s.

[1]) Schiller, Der Sturm auf dem Tyrrhener Meer (— Aen. I 34—156): *Himmel donnert* u. Himmel *flammt auf* im *Tausendgeblitze.* (G. Hauff, Schiller u. Vergil (Zs. f. vergl. Lit.-G. N. F. I (1887 88) p. 63 sqq.).

[2]) ‚*vorax*‘ epitheton *Charybdis* non est Vergilianum. In Aen. libris ‚*implacata*‘ vocatur III 420, ‚*vasta*‘ VII 302 (idem Lucr. I 723. Cat. 64, 156. Prop. III 26, 54 [L. Müller]). Cul. 332, ubi ante ‚metuenda‘ edebatur, hodie ‚Zanclaea‘ emendatum est. ‚*voraci*‘ nomen indidit *Charybdi* Cic. Phil. II 27 § 67 (de Antonio) quae Ch. tam *vorax?* de orat. III 41 § 163 Charybdim bonorum *voraginem.* ‚Syrtis-Charybdis‘ persaepe coniunctae, veluti Ovid. am. II 11, 18—20. 16, 21—23. rem. am. 739 sq. Verg. Aen. VII 302.

[3]) Cf. etiam Lucan. 1, 367.

c. 22 p. 264 alterum *confingitur* hoc loco *mendacium* Weyman, Stud. zu Apul. p. 388 inter Apuleiana, quae in declamationibus inveniuntur, hunc quoque locum enumerat. Commemorandum est hanc locutionem primum, quod videamus, exhiberi Cir. 362 nunc etiam *conficta* dolo *mendacia* turpi invenit. Ceterum cf. de verbis cum particula ‚*con*' compositis archiv. XII 390.

c. 23 p. 264 ‚velorum *sinus*' et ‚*obliquata* vela' conferantur cum Aen. V 16 (Palinurus) *obliquat*que *sinus* in ventum ac talia fatur.

c. 26 p. 267 si qua est fides — v. I 5 p. 10.

c. 26 p. 268 *uno ore* (v. Exc. II ad VI 14 p. 141) — Locutio proverbialis invenitur etiam Aen. XI 132: dixerat haec *uno*que omnes eadem *ore* fremebant. (Id adiciatur in Ottonis libro, ‚prov. Rom.' os 4 p. 259). Cf. C. Weyman, Archiv. XIII 394.

c. 28 p. 269 *dehisce terra* verbum *dehiscendi* Varroni notum Ciceroni Caesarique [1]), cum esset poëticum, neglectum novies invenitur in Vergili carminibus (Georg. I 479. III 432. Aen. I 106. IV 24. V 142. VI 52. VIII 243. X 675. XII 883). Huic loco facile exemplo fuerit Aen. X 675 sq. (vel IX 24): aut quae iam satis ima *dehiscat terra* mihi? quo loco Vergilius ipse sequitur Hom. Δ 182 τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. (Ribb. l. l. 399).

c. 28 p. 269/270. Supplicia quibus scelera nefanda apud inferos punientur depicturum plurima e Vergilio petiisse luce clarius est. Atque ‚*volucris rota*' (Aen. VIII 433) eam spectare poenam videtur, quam Aen. VI 616 sq. poëta his verbis perstringit: . . radiisque *rotarum* districti pendent. ‚*ferreae*' tum ‚*turres*' [2]), quas auctor iam audit ‚*stridentes*', revocandae sunt ad Aen. VI 554 stat *ferrea turris* ad auras. Ad ‚*stridunt*' cf. Aen. 558 (*stridor* ferri), 573 (*stridentes* portae). ‚*urnam*', quae iam ‚*stetit* illorum causis' neque Belidum urnam sententia Badii (apud Burmannum), neque Schultingi eam, quam Minerva moveat

[1]) Caesaris ‚elegantia'; cf. Arch. VIII 142. XIII 295.
[2]) Quid? si hoc loco respecto scribatur decl. X 8 p. 220: impositae inferis . . . *ferreae* (turres)? (*terrae* vg.)

(Aen. VI 432) esse intellegendam, sed qua sortes puerorum puellarumque Minotauro immolandorum continebantur, ipso sermonis declamationum et Vergiliani consensu satis demonstratur: Aen. VI 22 tum pendere poenas Cecropidae iussi (miserum!) septena quotannis corpora natorum: *stat* ductis sortibus *urna*.[1] ‚*Senex fugacibus cibis elusus*' prima specie nemo alius intellegi posse videtur quam qui in omnium ore est *Tantalus*. Quodsi Aeneidos lectionem vulgatam sequamur, aut Ixiona aut Pirithoum hunc senem interpreteris, quos quidem poëta (Aen. VI 601 sqq.) hanc ipsam poenam subeuntes inducit quae apud Homerum (λ 582—92) aliosque auctores Tantalo est perferenda. Sed cum hi Aeneidos versus VI 601 sq.

quid memorem Lapithas, Ixiona Pirithoumque?
quo super atra *silex* iam iam lapsura cadentique
imminet assimilis; lucent genialibus altis
aurea fulcra toris *epulae*que ante ora paratae . . .

omnes fere interpretandi conatus eluserint (cf. R. Helm, Jahresber. d. class. Altertumsw. 113 (1902) 40. E. Norden, Verg. Aen. VI p. 278 sqq.), ea quae in declamatione p. 270 subsequuntur (ille qui hominem apposuit *epulandum*), nullam de illo sene admittunt dubitationem. Itaque ‚*saxum imminens*' conferatur ‚*silici imminenti*' (Aen. VI 602).

DECLAMATIO XIII.

In hac declamatione quae inscribitur ‚*Apes pauperis*' omnium facile iucundissima scriptor non potuit non adire Vergili carmina, quippe qui similem rem diligentius versibus celebravisset.[2])

c. 2 p. 272 *ieiunae* modo glebae — v. XII 4/5 p. 245.

c. 2 p. 272 in hoc ego vitae meae *secreto* remotus a tumultu civitatis *ignobile aevum agere* . . . constitui — Quo loco Aen. versus VII 774 sqq. scriptori obversatos esse patet:

At Trivia Hippolytum *secretis* alma recondit
Sedibus et nymphae Egeriae nemorique relegat,
Solus ubi in silvis Italis *ignobilis aevum* Exigeret.

[1]) Cf. E. Norden, Aen. VI p. 126.
[2]) Cf. J. Mayer, Fachlicher Sachkommentar zu Vergils Preisged. auf d. Bien., Budweis 1902.

cf. etiam Aen. XI 569 pastorum et solis ex*egit* montibus *aevum* et Cir. 518 (Leo, Vergil und die Ciris, Herm. 37 p. 34).

c. 2 p. 272 constitui *vitam fallere* (λάθε βιώσας, latentem [1]) decl. XIII 2 p. 272, 9). Forsitan meminerit scriptor versum notissimum Georg. II 467: at secura quies et nescia *fallere vita,* quamquam similitudo ipsa vocabulorum specie continetur [2]).

c. 2 p. 272 Hoc mihi parvulum, ait pauper, terrae et humilis *tugurii* rusticum *culmen* aequitas animi *regna* fecerat [3]), Vergili exemplum (cf. Ha. p. 14) multo in genere secutus, qui Ecl. I 67 sqq. Meliboeum haec facit loquentem:

en unquam patrios longo post tempore finis
Pauperis et *tuguri* congestum caespite *culmen*
Post aliquot mea *regna* videns mirabor aristas?

‚*regna*' eadem significatione (cf. Burm. adnotationem ad hunc locum) exhibet Georg. III 476 (*regna* pastorum).

c. 2 p. 272 *respectantes patrium larem* - cf. Georg. III 228 et stabula *aspectans* regnis excessit *avitis.* v. XIII 4 p. 275 volui relinquere *avitos lares.*

c. 2 p. 272 *migraverunt veteres coloni* Ecl. IX 4 *veteres migrate coloni.*

c. 2 p. 273 cito *labitur dies* — cf. Aen. IV 77 *labente die:* XI 914 *die labente.* v. Excurs. II ad VI 14 p. 141: proclivis in *pronum fertur* aetas — Aen. VIII 548 pars cetera *prona fertur* aqua. Apul. met. V 26 die labente.

c. 3 p. 274 *solis hiberni* — *sol hibernus* Georg. II 481. III 302. Aen. I 745.

c. 3 p. 274 *consertum* (codd. omnes) novae iuventutis *agmen* Schultingius aptius quam Aen. II 347 (quos ubi confertos

[1]) Cf. Otto l. l. s. v. *latere* p. 188. Weyman, Arch. XIII 386.

[2]) Simile fortuitae (?) imitationis exemplum: Hor. c. I 2, 14 litore Etrusco *violenter undis* — Sen. Thyest. 584 ne superfusis *violetur undis* (Weyman, Bem. z. Horaz l. l. p. 230). Zingerle, Zu spät. lat. Dichtern, I p. 20. Hertz, Herm. 8 (1874) 262[3].

[3]) Cf. R. Pöhlmann, Die Übervölkerung der antiken Großstädte (Leipzig 1884) p. 44 (= Preisschrift. der Jablonowskischen Gesellsch., hist.-nat.-ökon. Sektion 16). G. Lehnert, Jahresbericht der class. Altertumswissenschaft 113 (1902) 106.

audere in proelia vidi) afferre potuit versiculum Georg. III 369 *confertoque agmine* cervi, quo ex versu haud scio an illud ‚consertum' emendandum sit in ‚confertum'.

c. 3 p. 275 *lenta vimina* vernis *fetibus texere* - - Georg. IV 34 seu *lento* fuerint alvaria *vimine texta*. cf. etiam Ecl. II 72. IX 42. Aen. XI 65 molle feretrum . . . *texunt* . . . *vimine querno*. *lentum vimen* — Aen. III 31. VI 137. *fetus* (de apibus orituris) — Georg. IV 163. 199. 231. Amm. Marc. XXIV 6, 8 vimine texta.

c. 3 p. 275. Omnia fere lineamenta (*aestivus ardor* sqq.) de Vergili versibus tracta sunt. *hiberna vis* — Georg. IV 37 utraque *vis* (hiemis aestatis) hiantis rimas *tenaci* linire [1]) (codd. linere Burm.) *limo* — Georg. IV 45 levi . . . *limo* (!) ungue. *tenax* — Georg. IV 57. 161. fessis apibus — G. IV 190. 266. Quod fugiens examen aere terrendum commendatur, Vergili praeceptum simile hoc est Georg. IV 64 tinnitusque cie et Matris quate cymbala circum. *bella* [2]) vero sedari posse dicuntur *pulveris iactu*, qua in re Verg. G. IV 86 iisdem fere verbis utitur: hi motus animorum atque haec *certamina* tanta *pulveris* exigui *iactu* compressa quiescunt. v. XIII 9 p. 283, 1 sqq.

c. 3 p. 275 *arcere parva dictu animalia* Scriptorem parvos apium hostes, quos Vergilius non ita paucos Georg. IV 242 sqq. enumerat, spectare patet; sunt enim stelio blatta, fucus crabro, tinia aranea. Quid? haec omnia nominare auctori longum est an nomina sunt odiosa? Tacitum quidem, cum ceteris in rebus maxime esset verborum avarus, vocabulis tamen technicis spretis ad unam rem definiendam multis haud raro verbis uti maluisse Woelfflinius [3]) iam pridem intellexit. (De hoc studio ‚sordida vocabula' vitandi nunc conferas E. Norden, Verg. Aen. VI p. 114 sq. 164 adn. 4.) Itaque haud scio an hoc quoque loco similem scriptoris voluntatem cognoscas, quippe qui ampliore verborum ambitu haud raro id adum-

[1]) Cf. Reisig-Haase I § 152 adn. 293b. Neue-Wagener III[3] p. 250 sqq. Itaque lego: XIII 5 p. 277 linivit. 17 p. 292 liniant.

[2]) certamina (Verg.); v. supra XI 3 p. 234.

[3]) C. Sittl, Die lokalen Verschiedenheiten d. lat. Spr. p. 104, hoc Africitatis quae vocatur proprium esse opinatur. at cf. Woelfflinium, Philol. XXVII 139.

brare soleat, quod uno duobusve exprimi potuit [1]). Huc pertinent VIII 16 p. 182 (non invenio, cur) in latentes meatus *per haec, quibus tegimur* (h. e. cutem) medicina descendat. VIII 17 p. 183 si fluitat nimiis aeger humoribus, praesto sint, *per quae pressis clusisque venis in novas vires corpus arescat* (h. e. remedia siccantia). X 2 p. 214 *illud quod nec flammis uritur nec cineribus exstinguitur* (h. e. anima). XII 9 p. 249 aliquid denique, *quod hominem propria nota signat.* XII 18 p. 258 pendet interim fames et *illud quod iam diu cogitat* differt (h. e. mortem). XIX 15 p. 375 exustis amputatisque *per quae dolor exit in verba* (h. e. lingua. Firm. Mat. math. I 8, 39 S.) [2])

c. 4 p. 275 non potes imperare apibus, ne hortorum meorum *floribus insidant?* Aen. VI 707 (apes) *floribus insidant* variis. v. XIII 13 p. 287.

c. 4 p. 275 volui relinquere *avitos lares* v. XIII 2 p. 272.

c. 4 p. 275 *fumosa tecta* - Georg. II 242 *fumosis . . tectis.*

c. 4 p. 276 forte *serenus* pura *luce fulserat dies* - Aen. V 104 sq. Exspectata *dies* aderat nonamque *serena* Auroram Phaëtontis equi iam *luce* vehebant. Aen. II 590 sqq. Obtulit et *pura* per noctem in *luce refulsit* Alma parens.

c. 4 p. 276. Verbis omnibus fere Vergilianis depingitur, quantopere pauper delectetur apium opus contemplans. *Libratae* pennis aliae onera conferunt (v. XIII 12 p. 287 *libratis* pendent alis) — Georg. IV 196 sese per inania nubila *librant. sarcinam* deponendam *accipere* aliae paratae sunt IV 167 *onera accipiunt* venientum. *aditus* alveariorum ut *angusti* sint, G. IV 35 praecipitur: *angustos* habeant *aditus. ‚fuci'* vulgus *ignavum* (pecus *ignavum* G. IV 168) hic *a militaribus castris* pellitur, illic (IV 168) *a praesepibus* arcetur. Ultima denique enuntiati pars ‚ad *aestivum solem* [3]) porrectas

[1]) Cf. Tacit. ann. 1, 65. 15, 38. Liv. 30, 6, 3.

[2]) Itaque II 16 p. 54 illa, *per quae* complexus veniunt manus) cum Hammero (p. 55) intellegi malimus quam cum Dessavero (p. 86), qui post ‚veniunt' addit: nescit, cum. Ad ‚per quae' = ‚quibus' cf. Arch. IX 559. Morawski' Zs. f. d. öst. G. 32 (1881) p. 8.

[3]) *‚aestivi solis'* decl. III 16 p. 72.

panderet pennas‘ ex G. IV 27 sq. petita est, ubi legitur: (apes ut possint) *alas pandere ad aestivum solem.* v. XIII 17 p. 292 officiorum partitionem.

c. 5 p. 276 *caduca folia* proximo *lapsura vento* — Georg. II 133 . . . folia haud ullis *labentia ventis.* Aen. VI 310 *lapsa* cadunt *folia.* cf. quoque G. I 368 frondes . . . *caducas.*

c. 5 p. 276 apes pauperis quod non *brumae* (cf. Georg. I 210) *glacialis penetrabili rigore (*frigore?) perisse dicuntur, duas Vergilianas locutiones scriptor in hoc enuntiatum coegit: Aen. III 285 *glacialis hiems* . . . et G. I 93 Boreae *penetrabile frigus.* ‚*penetrabilis*‘ vocabulum a Vergilio formatum. (Ladewig-Schaper II [11] p. 285).

c. 5 p. 277 *avias* petiere *silvas* — Aen. VII 580 *nemora avia.*

c. 5 p. 278 *noctis humorem* — Georg. I 290 *noctis* . . . *humor.*

c. 6 p. 278 aegrae solent *sub* ipsis *pendere portis* — in globum *nexas* mors divisit. G. IV 257 pedibus *conexae ad limina pendent.* Aen. VII 66 pedibus per mutua *nexis.*

c. 8 p. 280 puta me vel *inanis arboris trunco* vel *cavis* inventos *petris* domum favos rettulisse — Georg. IV 42 sqq. Saepe etiam effossis, si vera est fama, latebris Sub terra fovere larem penitusque repertae *Pumicibusque cavis exesaeque arboris antro,* quos versus sub illis verbis latere vixdum cognoscas. Amm. Marc. XIV 2, 10 cavatis arborum truncis.

c. 8 p. 281 cur in*frenatis equis victor* (codd. *vector* Gronov. *rector* Burm.) *insidet?* — Cum his diebus georg. III 114 (rotis insistere v*i*ctor), quem locum Gronovius ad firmandam coniecturam ‚v*e*ctor‘ attulit, non ‚v*e*ctor‘ sed ‚v*i*ctor‘ libris edatur, apud Pseudoquintilianum nemo iam audeat aptissimum illud ‚*victor*‘ velle emendari, cum praesertum et sequens ‚*impositus* . . . *magister*‘ (XIII 9 p. 282,2) satis demonstret scriptorem ante oculos haec habuisse G. III 113 sqq.:

> primus Erichthonius currus et quattuor ausus
> iungere *equos* rapidusque rotis *insistere victor.*
> *frena* Pelethronii Lapithae gyrosque dedere
> *impositi* dorso, atque equitem *docuere* sub armis
> insultare solo et gressus glomerare superbos.

c. 8 p. 282 *omne pecudum genus* — ‚*omne genus*‘ genitivo pluralis coniunctum a Vergilio multum adamari his locis elucet: G. II 20. III 242. 541. IV 223. Aen. IV 622. V 737. IX 510 alibi. Hoc autem loco qui accedit genitivus ‚*pecudum*‘ apud ipsum Vergilium cum adiectum videmus G. III 480 et *genus omne* neci *pecudum* dedit. v. Woelfflinium, arch. V 394 et decl. V 15 p. 118. [1])

c. 9 p. 282 *noctem*que modesto silentio *trahunt?* — Aen. I 748 sq. . . . vario *noctem* sermone *trahebat* infelix Dido.

c. 9 p. 283. Tamen quam dominus dedit incolunt sedem, lascivientem luxuria fugam tinnitu compescimus. etiam si diversis regibus coorta seditio ad *bellum* [2]) inflammavit iras, exiguo pulvere vel unius poena ducis resedit omnis tumor — cf. XIII 3 p. 275, 4. Verg. Georg. IV 67 sqq.

c. 10 p. 284 *aperitur* ingens funeri *via* — Aen. X 864 *aperit* si nulla *viam* vis (idem XI 884).

c. 11 p. 284 *silvas* horridas — Aen. IX 381 sq. *silva* fuit . . . *horrida.*

c. 12 p. 286. In iucundissima floris orituri descriptione haec e Vergilio sumpta deprehendimus: ‚*ruptis tunicis*‘ — G. II 75 (de arborum oculis) tenuis *rumpunt tunicas.* se *ruptis tunicis* fuderunt — v. II 18 p. 55. ‚*ruptis*‘ novies apud Vergilium: Georg. I 472. 510. II 480. IV 556. Aen. II 496. III 27. 580. VIII 225. 651.

c. 12 p. 287 libratis pendeant alis — v. XIII 4 p. 276.

c. 13 p. 287 ‚maturae fructibus *vites* et *fragrantes thymo* colles‘ apud Vergilium quoque apibus pabulum ministrare dicuntur. Inter remedia enim morborum apium G. IV 269 appellantur ‚psithia passi de *vite* racemi Cecropiumque *thymum* (seu thymus).‘ ‚*fragrantes thymo* colles‘ — cf. IV 169 (— Aen. I 436) ‚*thymo fragrantia* [3]) mella.‘

[1]) Weyman, Arch. I 590.

[2]) v. XIII 3 p. 275. XI 3 p. 234.

[3]) Quibus Vergili locis et Pseudoquintilianeo inter se comparatis eum consensum esse non negamus, ut hunc illinc manasse verisimillimum sit. Nihilo minus est commemorandum pro ‚*fragrantes*‘ codd. *V M* exhibere ‚*fraglantes*‘, *B*[1] fragentes, *B*[2] *P* frangentes, dett. flagrantes, fraglantibus, *nullum* librum ‚*fragrantes*‘. ‚fraglandi‘ verba et ‚fragrandi‘ in appendice Probi Gr. lat. IV p. 201 Keil eo distinguuntur, quod ‚fragrare‘ odorem significare dicitur, ‚flagrare‘ splendorem. Sed cum etiam ‚fraglare‘ (= flagrare) pro verbo fragrandi adhibitum esse Woelfflinius in archiv. IV 9 (VI 4) demonstraverit

c. 13 p. 287 colles *pabulum ministrant* — G. II 213 *ministrat.* G. IV 266 *pabulum.*

c. 13 p. 287 (flores), quibus insedere — v. XIII 4 p. 275.

c. 15 p. 290 (apes) fructibus nostris *invigilant* G. IV 158 namque aliae victu *invigilant* (‚invigilare' a Vergilio formatum: Aen. IX 605).

c. 16 p. 291 non illas libido progenerat domitrixque omnium animalium Venus — cf. G. IV 198 sqq.

c. 16 p. 291 utque homines in excusationem sui fabulis tradiderunt, etiam deorum posteritas has regnis suis excepit — cf. G. IV 317 sq. (Burm.); aptius potuit afferre IV 219 sqq.

c. 16 p. 291 nec *edunt fetus* — G. IV 199 *fetus . . edunt.*

c. 16 p. 291 ‚*iuventus*' de *apium* subole — G. IV 22.

(cf. etiam A. Engelbrecht, Untersuchungen über d. Spr. d. Claudianus Mamertus, Sitzungsber. d. Wiener Akad. philol.-hist. Cl. 110 [1885] p. 512 sqq.), haud scio an illud ‚*fraglantes*' optimis codd. *V M* traditum textui sit inserendum. Qua scriptura recepta novum habeamus exemplum rationis inter Pseudoquintilianum Apuleiumque intercedentis (cf. Apul. met. II 8 cinnama *fraglans,* IV 2 caliculos *fraglantis*) et, cum scriptores qui vocantur Afri fraglandi verbum anteponant, ansam fortasse coniectandi, ubi tandem declamationum hoc corpus sit compositum (?). Quamquam nos minime fallit his ipsis diebus in ‚Africitate' quae dicitur defendenda doctos multo maiore uti cautione, ne Krollio quidem adversanti (Rhen. mus. ser. nov. LII 569 sqq.) unquam continget, ut ea omnia funditus repudianda esse nobis persuadeat, quae si quidem Afris scriptoribus quam aliis usitatiora sunt, suo iure Africitatis ut ita dicam quoddam ingenium prae se ferre nemo infitietur.

Itaque huc pertinere puto participii ‚*constitutus*' (= καθεστώς, ῶν) usum, quem in terra illa bilingui (cf. E. Norden, Die antike Kunstprosa II 593 sq. 607 sqq.) primo inveniri omnes fere consentiunt (cf. Arch. VII 481. IX 307. 560. X 539. Fleckeis. Jahrbb. 1891 p. 352). In decll. eodem modo ‚*positus*' (cf. A. Engelbrecht, S.-B. d. Wien. Ak. 110 p. 466. E. Woelfflin, S.-B. d. Bayr. Ak. 1891 p. 532) adhibetur. IV 1 p. 83 *positus* in ea condicione . . . quaeso. V 4 p. 108 in tristissimae necessitatis *positus* abrupto. XIII 7 p. 280 animal extra imperia *positum.* XVII 4 p. 336 mens in obitus contemplatione *posita.* XIX 5 p. 367 hominem extra sensus affectusque *positum.* at VII 6 p. 157 te extra omnes . . . affectus . . *se*positum. Quem ad usum exempla huius modi traduxerint: XIII 3 p. 274 (hortulus) *est* namque *positus* ad ortus solis. XIII 9 p. 282 at (animal) extra imperia *positum est.* quae si respicio, paene adducor, ut XII 14 p. 255 in aeterna sede compositis (*vg. positis* cod. *V)* Vossiani lectionem defendam et I 3 p. 7 Burmanni scripturam: palam *positum* (gladium) et sub oculis omnium e. q. s. contra Hammeri emendationem (p. 47): palam positum *est,* sub. o. o. (ferrum) teneam. ‚*positum*' enim idem valere quod ‚ὄντα, καθεστῶτα' eo apparet, quod paulo infra I 8 p. 21 legitur: (gladius) *pependit* in cubiculo palam. Accedit quod non ‚*est*', sed ‚*erat*' (positum) legi oportuit (cf. I 3 p. 7 habu*erat* — timu*erat* obiec*erat).*

c. 16 p. 291 *suspensum*que proximis *ramis examen* — cf. Aen. VII 67 *examen* subitum *ramo* frondente *pependit.*

c. 16 p. 291 quid credas aliud quam *divinae partem mentis* his animis in*esse* — Versum G. IV 220 sq. exemplo fuisse patet: *Esse* apibus *partem divinae mentis* et haustus Aetherios dixere. Cum ‚*animis*' apium, quippe quae omni animo careant, satis dure pars divinae *mentis* inesse dicatur, mendum hoc loco latere conicias. Si scribatur ‚his *animalibus*' oratio ad Vergili verba (‚apibus') propius accedat et apte ‚*haec* animalia' *ceteris* (XIII 17 p. 291 non ut *cetera* animalia) opponantur. ‚animal' persaepe scriptor apem appellat, veluti XIII 12 p. 286 *huius* animalis, 15 p. 290, 5 *cetera* animalia — *haec,* 15 p. 290, 10. 12 *cetera* (animalia om. codd.) — *harum* (horum?), 16 p. 290, 14 animal, 19 p. 294 *his* animalibus. Ceterum similis erroris exempla, quo ultimae vocum syllabae confunduntur, nobis occurrunt V 4 p. 106 properantius — properantibus (Dess. 98), XIII 13 p. 287 fragrantes — fraglantibus (codd. det.), (VIII 21 p. 187 avium vg. Burm. — animalium codd.).

c. 17 p. 291 *tutas* sedes continent — cf. G. IV 193 sed circum *tutae* sub moenibus urbis aquantur.

c. 17 p. 292 non praesentis modo cibi *memores* in diem vivunt: duraturus *hiemi reponitur* victus — G. IV 156 sq. venturaeque *hiemis memores* aestate laborem experiuntur et in medium quaesita *reponunt.* G. III 403 *hiemique reponunt.* Aen. IV 403 populant *hiemis memores* tectoque *reponunt.*

c. 17 p. 292 quae officiorum partitio, ut aliae congerant onera, aliae accipiant, aliae liniant — cf. G. IV 39. 167. v. supra c. 3 p. 275 rimas tenaci linire fimo.

c. 17 p. 292 nec dubio *se caelo tradere* (apes) — Burmannus Francii coniecturam secutus ‚tradere' in ‚*credere*' mutari voluit. Quamquam ex Vergili verbis harum declamationum textum temere emendari minime placet, hoc tamen loco Burmanni iustam, ut videtur, emendationem commendare audemus. Atque praeter Vergilianos aliorumque locos a Burmanno prolatos hos afferam: G. IV 192 (Burm.) *credunt caelo* adventantibus Euris, (quem locum scriptori obversatum esse inde pro certo elucet, quod ea quae in declamatione

subsequuntur (nec ultra viciniam nubilo tendere) versum georg. IV 191 imitari videmus: nec vero a stabulis pluvia impendente recedunt.) Aen. VI 15 (Burm.) (Daedalus) praepetibus pennis ausus *se credere caelo*. Plaut. Rud. 485 sq. Qui homo sese miserum et mendicum volet, Neptuno *credat sese* atque aetatem suam. Quint. i. o. XII prooem. 2 iisdem *se* ventis *credere*. Verg. Aen. V 383 *se credere* pugnae. X 289. verbum denique ‚*credendi*' in ipsis declamationibus invenitur II 16 p. 53 quia diu sunt incerta nutantia, necesse est gravius premant solum *cui crediderint* (vestigia caeci).

c. 17 p. 293 ad dirigendos in destinata cursus modico *lapilli* pondere *librare* pennas (apes solent) — G. IV 194 sqq. (apes) saepe *lapillos* tollunt, his sese per inania nubila *librant*.

c. 17 p. 293 adice quod si quas aut aetas aut morbus oppressit, *efferuntur* prius *corpora*, posteriorque operum quam funerum cura est — G. IV 251 sqq. 255 sq. *corpora* luce carentum *exportant* tectis et tristia *funera* ducunt.

c. 18 p. 293 quid illigare *cruribus flores?* quid *ore sucos* in publicum *ferre?* — In priore enuntiati parte versus Georg. IV 180 sq. obversatos esse suspicor: At fessae multa referunt se nocte minores *Crura thymo plenae*, in altera fortasse G. IV 17: *ore ferunt* dulcem nidis immitibus escam, etsi subiectum huius versus non ‚apes', sed ‚volucres' (apes rapientis) est. ‚*fucos*' quod habet cod. Vossianus pro vulgata lectione ‚*sucos*', non ita ‚nato errori', ut Burmanni verbis utar, tribuendum videtur eoque fit multo probabilius, quod etiam Vergilius georg. IV 39 ‚*fucum — flores*' item coniuncta exhibet, scilicet materias, quibus opus ipsum in sequenti declamationis capite summis laudibus efferendum ab apibus exstruetur.

c. 18 p. 293 *non est temere* — cf. Aen. IX 375 *haud temere est* visum (cf. archiv. X 29).

c. 18 p. 293 reponendis cibis — v. XIII 17 p. 292.

c. 18 p. 293 *tenacibus* vinculis *fundamenta suspendunt* — G. IV 161 sq. prima favis ponunt *fundamina*, deinde *tenacis suspendunt* ceras. v. IX 21 p. 209.

c. 18 p. 294 his textis — *inter* (intra?) *saepta* onera cluduntur — G. IV 159 pars *intra saepta* domorum . . . prima favis ponunt fundamina. intra saepta Amm. Marc. XXX 4, 19. XXXI 10, 19.

c. 19 p. 294 *praesentissima* medicina (mel) — cf. G. II 127 sq. saporem Felicis mali, quo non *praesentius* ullum. v. *praesentaneus* XIII 6 p. 279.

c. 19 p. 294 *suci pestiferi* — venena — cf. *tristis sucos* Georg. II 126.

DECLAMATIO XIV.

Haec declamatio cum non tot Vergilianis abundet quot e. g. tertia decima, locus tamen occurrit, qui si non ipsis verbis aut verborum sententia, at structura et acumine rhetorico Vergiliano versui conferri possit, illum dico:

c. 9 p. 303 *amatoris unum* remedium est *amari* [1]) Cui affinitate quadam coniuncta sunt Vergili verba Aen. II 354 *una salus* victis nullam sperare *salutem.* [2]). Hunc versum Livium VII 35, 9 (ergo *una salus* est erumpere) facile secutum esse Stacey (arch. X 49) monuit. De lusu illo eiusdem verbi (amatoris — amari, salus — salutem) argenteo aevo magis magisque patenti et quo eiusdem verbi genus activum et passivum saepe sibi opponuntur, pluribus egerunt Woelfflin, Arch. XII 345 sqq., Morawski, Eos II (1895) p. 5 sqq. 11. Rhetorum Rom. ampullae, Cracov. 1901 p. 6 adn. 1. p. 13. 15. 16. cf. Sen. contr. X 4, 6 genus est *rogandi, rogare* non posse. A Seneca vero filio usque ad nauseam frequenter, ut ait Morawski, Rhet. Rom. ampullae p. 6, usurpatum hoc schema: Phaedra 254 pars *sanitatis* velle *sanari* fuit. epist. 34, 3 pars *magna bonitatis* est velle fieri *bonum.* epist. 30, 11 prima pars est *aequitatis aequalitas.* epist. 71, 36 *magna* pars est *profectus* velle *proficere.* cf. etiam decl. VIII 10 p. 175 *maxima* scientiae

[1]) Cf. A. Otto l. l. *amare* 2 p. 17. C. Weyman, Arch. XIII 262
[2]) Cf. E Norden, Aen. VI p. 217. 463.

(h. e. artis medicae) *pars* [1]) esse coepit, sanare non posse [2]). (V 17 p. 121 hominis . . . *unum remedium* est ut redimatur).

DECLAMATIO XV.

c. 4 p. 310 *fluens tabe* corpus — Vergilianam hanc locutionem imitatum esse scriptorem verisimillimum est, cum praesertim ter eam in Aeneidos libris usurpatam reppererimus: Aen. III 626 membra *fluentia tabo,* VIII 487 sanie *tabo*que *fluentis,* IX 472 (ora) atroque *fluentia tabo.* neque tamen ‚*tabe*' illud in ‚*tabo*' mutare audemus, quia cum saepius intellexerimus quam libere scriptor ad poëticum exemplum se applicare soleat, tum ipsi declamationum sermoni et ‚*tabes*' (VI 3 p. 130) et ‚*tabum*' (XII 9 p. 249. 13 p. 254) propria sunt.

c. 5 p. 310 acrior erectior(que) *resedit in* sensus vigor — v. Dess, p. 99. ‚*resedit*', quod Gronovius in ‚rediit' — firmari potest coniectura tot Vergili locis (Aen. II 367. V 454. Georg. II 401. III 272) —, Burmannus in ‚se dedit' mutari voluerunt haud dubito retinere. Primum enim in declamationibus ipsis idem verbum, bis, si recte notavi, usurpatum videmus: XVI 8 p. 329 *resederant* pondere catenae, XIX 2 p. 364 . . . neve maximae calamitatis ibi tantum putetis *resedisse* sensum, deinde sicuti verbum redeundi, ita residendi eiusdem Vergili locis probari potest. Legimus enim Georg. II 479 sq. Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant Obicibus ruptis

[1]) Eiusdem schematis exempla saepius per declamationes obvia sunt: XIV 8 p. 302 prima *pars* sanitatis est, ut libenter accipiat. XVIII 7 p. 355 *pars* voluptatis videtur esse iactatio. XIX 3 p. 366 *pars* secreti fuit, ut ipse torquerem. cf. Publil. 469 *pars* beneficii est, — si belle neges. Huc pertinet etiam ‚*genus, ratio*' cum genitivo coniunctum, veluti V 9 p. 112 *genus* ultionis est pascere nec misereri. VII 4 p. 156 *genus* servitutis est coacta libertas. XI 2 p. 233 *genus* libertatis odisse maiores. XIV 2 p. 296 hoc solum *genus* mortis, ut odisse cogaris. XVI 2 p 323 *genus* ostentationis adamaveram, ut mirarentur . . . fidem. XVII 7 p. 339 non potest efficere pertinacia querendi *genus* probationis (ut distinguendum videtur). XIX 7 p. 369 *genus* reverentiae, ut tacenda minime velis scire carissimos. VII 10 p. 162 *ratio* saevitiae est, ut aliquis coram me occidatur, propter quem occiditur. XIX 12 p. 373 *ratione* saevitiae.

[2]) ‚maxima', non ‚maximae' (G. Lehnert, Phil. 62 [1903] 430) legendum esse exemplis adlatis apparebit.

*rursus*que *in se* ipsa *residant*, Aen. IX 539 dum se glomerant retroque *residunt in partem.*

c. 7 p. 313 con*surge age*dum (XV 14 p. 320) — cf. *surge age* Aen. III 169. VIII 59. X 241. XIX 15 p. 375 consiste agedum.

c. 7 p. 313 *diem pervigil* amator *exspecto* — (‚*pervigil*' adiectivum Vergilio ignotum, Ovidius primus usurpavit). cf. Aen. V 104 *exspectata dies* aderat.

c. 7 p. 313 possum *navigare, colere terras,* sufficio *militae.* cf. Ecl. III 61 ille *colit terras.* Priscae latinitatis est ‚colere terra*m*' (agricola). v. XIX 9 p. 371 non experiri *militiam,* non tentare *maria,* non *rura colere* [1]). Nigellus Poet. Carol. II 47, 212 Dümmler nec tua *rura colo,* nec tua iura volo (Arch. I 381).

c. 7 p. 313 *dii deaeque* — Aen. VI 64 *dique deaeque;* sed iam apud Ennium fab. 83 M. di deaeque, tum apud Ciceronem Verr. 5, 188 deos deasque. Rabir. 5 dis deabusque. v. II 23 p. 58. IV 15 p. 97. V 7 p. 110. 9 p. 112. 21 p. 124. VII 4 p. 156. XI 2 p. 233. XVI 6 p. 327. 8 p. 329. XVII 7 p. 338. XVIII 10 p. 357.

c. 8 p. 314 (furor ille amatorius) numina quoque detracta sideribus misit in terras — v. Exc. II ad VI 14 p. 141.

---

[1]) Occasione oblata paucis illo de tricolo nobis disserere liceat, quod totiens litterae et Graecae et Latinae exhibent, immo his ipsis diebus a veterum cultu humanitateque maxime remotis nondum potuit perire. Itaque quod amator sanatus dicit: „possum *navigare, colere terras,* sufficio *militiae*", nil nisi veterum solita ἐπιτηδεύματα enarrat, quae saepissime coniuncta leguntur, veluti, ut notissimum fere exemplum afferam, Hor. sat. I 1, 5 sqq. *miles — mercator — agricola.* Ampliorem huius usus conspectum praebet E. Norden, In Varronis Saturas Menippeas obss. sel. (ann. Fleckeis. suppl. XVIII) 295 adn. 3, cui hos locos Pseudoquintilianeos velim adicias. cf. A. Gercke, Rh. M. 48, 43. Weyman, Stud. zu Apul. I 1. 351. Cf. etiam Prop. II 1, 43 sq.: *Navita* de ventis, de tauris narrat *arator,* Enumerat *miles* volnera, pastor oves. Auson. praefatiunc. IV 1 sqq. (Peiper p. 4): *Agricolam* si flava *Ceres* dare semina terrae, *Gradivus* iubeat si capere arma *ducem,* Solvere de portu *classem Neptunus* inermem. Ps.-Quint. decl. min. 249 p. 22, 2 sqq. 24, 12 sqq. Ritter. *Agricultura* et *militia* componuntur in his Eichendorfi versibus:

Groß ist Deutschland, wenn es *nährt,*
Groß ist Deutschland, wenn es *wehrt,*
(Groß ist Deutschland, wenn es lehrt,
Schwert und *Pflug* und Schrift es ehrt.)

Itaque in excerpt. decl. VI p. 386, 11 lego: nec *militare* nec *navigare* nec *arare* (orare *vg,* Burm. Ha. p. 43).

c. 8 p. 314 *ardor . . . miscuit* hominum ferarumque concubitus — *miscendi* verbum simili in re Aen. VI 24 sq. Hic crudelis *amor* tauri suppostaque furto Pasiphaë *mixtum*que genus prolesque biformis Minotaurus inest, Veneris monimenta nefanda. *homines - ferae* — Aen. I 308 *hominesne ferae*-ne. v. Caput II ad XV 11 p. 318.

c. 8 p. 314 *claustra laxabat* (amoris ardor) — Aen. II 258 *laxat claustra* (Sinon).

c. 9 p. 316 *vinculis nexibus*que *tenuissent* — G. IV 405 verum ubi correptum *manibus*(que) *vinclis*que *tenebis*.

c. 9 p. 316 blandis *affatibus* - ‚affectibus' perperam codicibus traditum Burmannus recte in ‚affatibus' mutavit. ‚affatus' primus exhibet Vergilius (Ladewig-Schaper II[11] p. 285) Aen. IV 284 *affatu*. cf. Thes. I 1174.

c. 10 p. 382 *hic* vero (h. e. alter Amor miti contrarius), quo perditis *visceribus* ad*haeremus* inquieti, . . . tumultuosus ac petulans, *telis funereis facibus*que *armatus* — cf. ea quae de Didone Aeneae capta amore leguntur Aen. I 717 sqq. . . . haec oculis, haec *pectore* toto *Haeret* et interdum gremio fovet, inscia Dido, insidat quantus miserae deus. Quod vero *telis funereis facibus*que *hic* Amor *armatus* dicitur, cui Weyman, Stud. zu Apul. l. l. p. 353. 388, Apuleianum (met. IV 30) confert Amorem ‚satis temerarium, *flammis* et sagittis *armatum, ‚funereae faces*'[1]) locutio bis in Aeneidos libris invenitur VII 336 sq. tu (h. e. Allecto) verbera tectis *Funereas*que inferre *faces* (potes) XI 142 sq. Arcades ad portas ruere et de more vetusto *Funereas* rapuere *faces*. Cf. *f*uriales *f*aces decl. IV 16 p. 98. 20 p. 102. Amm. Marc. XXX 5, 4. Flor. I 47, 13. I 6, 7 R. v. Excursus I. cf. etiam Aen. IV 472 *armatam facibus* matrem (Orestis).

c. 14 p. 320 consurge agedum — v. XV 7 p. 313.

DECLAMATIO XVI.

c. 4 p. 326 si qua dicentis fides est — v. I 5 p. 10.

c. 6 p. 327 dii deaeque — v. XV 7 p. 313.

[1]) Cf. Amm. Marc. XXIV 7, 4 *f*unesta *f*ace Bellonae. ‚funereus' primum apud Vergilium invenies (Ladewig-Schaper II[11] p. 285), saepius apud Ovidium.

c. 8 p. 329 dii deaeque — v. XV 7 p. 313.

c. 10. p. 330 unius cogitationis *pudore victus* sum — Burmannus quod legi voluit ‚*evictus*,' praeter ea quae in firmandam emendationem adnotavit hoc affero Verg. Aen. IV 474: ergo ubi concepit furias *evicta dolore*, quem locum Tacitum ante oculos habuisse, cum scriberet Ann. XII 68 *dolore evicta* (em. Heinsius, quem sequuntur Nipperdeius[5] et Halmius; codd. eadem littera ‚e' omissa exhibent: victa) Schmaus l. l. p. 27 monuit [1]).

c. 16 p. 331 cadunt (oculi) — v. VIII 5 p. 169 labentes oculi.

DECLAMATIO XVII.

c. 1 p. 333 obicere *p*utatis *p*arricidium *p*atrem *p*erose? (cf. Excursus I ad III 3 p. 62) — ‚perose', a Dessavero (l. l. p. 100) acutissime emendatum (‚pro se' codd.), primum invenias Aen. VI 435 lucemque *perosi*. Arch. X 45. XII 155.

c. 3 p. 335 fateor — v. V 5 p. 108.

c. 4 p. 336 totus *oculis animo*que conversus *haerebam* — Aen. I 717 sq. haec (h. e. Dido) *oculis*, haec *pectore toto haeret* eqs.

c. 7 p. 338 dii deaeque — v. XV 7 p. 313.

c. 4 p. 345 super *strictum* nudatumque *mucronem* — mucronem stringere sollemnis est Vergiliana locutio, quae invenitur Aen. X 651. *strictum*que coruscat *mucronem*. Aen. II 449. XII 663 *strictis mucronibus*. v. VII 3 p. 154 *stricto mucrone*.

c. 15 p. 345 non *spargit cruorem* — Aen. XII 308 *sparso* late rigat arma *cruore*.

c. 15 p. 345 placida est, quieta est mors — Aen. VI 522. IX 445.

c. 18 p. 348 ereptus sum miser animo meo et improvisa voce percussus steti sine affectu — v. II 2 p. 40.

DECLAMATIO XVIII.

c. 3 p. 352 (filium mater) *fovit amplexu* — ‚*amplexu fovere*, simileque ‚gremio f.' Vergiliana sunt. Leguntur Aen. VIII 388 cunctantem *amplexu* molli *fovet* . . . (Volcanum

[1]) Cf. precibus . . evinci decl. IX 8 p. 196. evicerunt officia decl. IX 12 p. 200.

Venus). Aen. IV 686 . . . germanam *amplexa fovebat.* gremio fovere Aen. I 692. 718.

c. 4 p. 353 non deos hominesque testaris? — v. IV 4 p. 87.

c. 5 p. 353 54 tristior vultus, querela, fastidium fatum est coniugii (factum *V,* fatum *codd. cet. vg. Burm.*) — Enuntiata et praecedentia et insequentia si consideraveris, dubium non esse puto, quin coniugii vocabulum nihil aliud valere concedas quam coniugis, mariti nomen. cf. matrimonia = matronae. Itaque quam cod. Vossianus optimus lectionem habet ‚*factum*' pro vulgata scriptura ‚*fatum*' restituenda videtur. Coniugii enim et mariti vocabula promiscue adhiberi haec de Helena in patriam reditura Vergili verba demonstrent Aen. II 579 *coniugium*que domumque patres natosque videbit. cf. etiam Prop. IV 12, 20 (L. Müller) = III 13, 20 (et certamen habent leti, quae viva sequatur) coniugium pudor est non licuisse mori. (v. supra II 3 p. 41.) ‚factum' vero et ‚fatum' in codicibus saepissime confunduntur, veluti XIII 10 p. 284 facta *(vulg.)* — fata [1]) codd. (rectius).

c. 7 p. 355 ubique *nox profunda, densior caligo* tenebrarum — *noctem*que *profundam* Aen. IV 26. VI 462. ‚profunda nox' a Cicerone alienum est. *densa* in *caligine* Aen. XII 466.

c. 8 p. 365 ad aures patris pervenire rumor *erubuit* — v. III 3 p. 62 laudare erubesco.

c. 10 p. 357 dii deaeque — v. XV 7 p. 313.

c. 10 p. 357 *pendere cervicibus* — cf. Aen. I 715 ille ubi complexu Aeneae *colloque pependit.*

c. 17 p. 363 *rumpam taedium lucis invisae* — Aen. IV 631 *invisam* quaerens quam primum *abrumpere lucem.* cf. etiam Aen. XII 62 simul haec *invisa relinquam lumina.* v. XII 17 p. 258 *lucis odium* . . et quae huic opposita sunt IV 8 p. 91 *gaudia lucis.*

c. 17 p. 363 *manibus* — v. V 4 p. 108.

[1]) Cf. Huemer, Arch. III 548.

DECLAMATIO XIX.

c. 2 p. 365 *sufficit* interrogare — v. IV 20 p. 101.

c. 2 p. 365 *fuimus* quondam, *fuimus* felicissimi parentes . Verissimillimum est illum, quem his diebus ‚alatum', ut Buechmanni verbo utar, factum versum videmus, fuisse exemplo: Aen. II 325 . . . *fuimus* Troes, *fuit* Ilium et ingens gloria Teucrorum.

c. 2 p. 365 *florentem* duxit *aetatem* [1]) cf. Ecl. VII 4 ambo *florentes aetatibus,* Arcades ambo quem versum Livius XXXXII 11, 6 ‚florere iuventute' et Tacitus hist. II 81 ‚florens aetate formaque' secuti videntur, unde fortasse Ammianus (Arch. IX 617) locutionem eandem mutuatus.

c. 4 p. 366 mersis tantum *deiectis*que *luminibus* — cf. Aen. XI 480 *oculos deiecta* decoros. VI 862.

c. 4 p. 367 si subitum *cinxisset incendium* — cf. Aen. I 673 sq. *cingere flamma* reginam meditor ibidem IX 160. X 119. XII 811.

c. 5 p. 367 lacerare *suffeci* — v. IV 20 p. 101.

c. 9 p. 371 rura colere — v. XV 7 p. 313 colere terras.

c. 10 p. 371 *sermones* ad*serere* — Aen. VI 160 *sermone serebant;* Plaut. mil. 699. cf. E. Norden, Aen. VI p. 179. 366.

c. 15 p. 375 senex *furiis* monstruosae feritatis *accinctus,* manibus *exsertis,* hinc *ignibus,* hinc verberibus *armatus* — cf. Aen. IX 74 atque omnis *facibus* pubes *accingitur* atris. ‚*exsertus*' vox Vergiliana (Aen. I 492. XI 649. 803) a Livio recepta (VIII 9, 5 manu subter togam ad mentum exserta); ‚*ignibus armatus*' — cf. Chimaeram *flammis armatam* (Aen. VI 288) et (Clytemestram) *armatam facibus* matrem et serpentibus atris (Aen. IV 472).

c. 15 p. 375 dolor exit in verba — v. II 21 p. 57.

c. 16 p. 376 manes — v. V 4 p. 108.

c. 15 p. 375 consiste agedum — v. XV 7 p. 313.

[1]) Cf. Thes. I 1127.

EXCURSUS I (ad III 3 p. 62).

Figurae quae dicitur alliteratio hoc exemplum in verbis ‚praedura priscis moribus mater' non casu fortuitoque factum, sed consilio petitum esse satis pateat, si haec e declamationibus hausta respexeris verborum paria (aa bb cc):

*d*erisus *d*issignator *r*edit *r*efertur VI 8 p. 135.
*v*ictimam *v*iolatis *m*anibus *m*ittimus XII 11 p. 252.
*p*atientiae *p*ertinaci *c*rudelitate *c*ontinuas XVIII 14 p. 360.
*t*ota *t*ristissimae *c*oniugis *c*alamitas *p*erspici *p*otest VIII 6 p. 171.

cf. Anm. Marc. (Petschenig, Philol. 56. N. F. 10 p. 556)
XX 1, 1 *l*oca *l*imitibus *v*icina *v*astarent
XXV 3, 19 *d*udum *d*idici *f*ide *f*atidica
XXXI 6, 1 *o*mnium *o*tiosis *a*nimis *a*ccidentia *c*uncta *c*ontuebantur
XXXI 7, 12 *c*onferendas *c*oiere *m*inaciter *m*anus.

Atque cum H. Dessauer quidem l. l. p. 100 gravissimae huius figurae usum, qua quasi vinculo declamationes inter se continentur, leviter et in transcursu perstrinxerit, hic nobis paucis de hac re agere liceat.

Formulas duabus plerumque vocibus constantes ab eademque littera incipientibus, quas permultas e litteris Romanorum collectas primus dispositas et digestas protulit Woelfflinius [1]), hasce in declamationibus dispersas repperimus. Quae apud Woelfflinium non inveniuntur, asterisco * adiecto distinximus.

(*a*ris *a*ltaria, XII 26 p. 267 [SB p. 47]). *a*ras *a*ltaria *et* Calp. Flacc. decl. 26 p. 24, 19 Lehnert.

* *a*ttonitus *a*mens [2]) *asynd.*, XVII 6 p. 337. 18 p. 348. XIX 15 p. 375.

*au*rum — *o*rnatus, X 9 p. 221 [SB p. 48].

*c*arcer — *c*atenae, V 21 p. 125. VI 4 p. 130. 7 p. 134 [SB p. 50, Arch. III 446 [3]].

* *c*arcere *c*aptivitate, VI 8 p. 136 [V 15 p. 118].

[1]) Über die allitter. Verbindungen der lat. Spr. (S.-B. d. K. B. Ak. d. W. philos.-philol. u. hist. Cl. 1881. II 1, 1 sqq — SB); cf. quoque Woelfflinium, Arch. III 443 sqq. O. Keller, Gramm. Aufs. pp. 1—72, Woelfflin in arch. IX 567 sqq. E. Norden, Aen. VI p. 405 sqq.

[2]) Verg. Aen. IV 279—282 *a*mens *a*ttonitus. Apul. met. III 22 *a*ttonitus in *a*mentiam.

[3]) Cf. Ph. Thielmann, Über Sprache und Kritik des lateinischen Apolloniusromans (Speierer Gymnasial-Programm 1881) p. 22.

* *c*asus — *c*alamitatem, VI 24 p. 151.
* *c*atenis — *c*laustris, X 8 p. 221.
*c*lamore *g*emitu *asynd.*, VIII 18 p. 184.
*c*ogitationes — *c*onsilia, VII 10 p. 161. XV 5 p. 311 [Arch. III 446].
*c*onatus *g*ressus *que* VIII p. 173.
* *c*onvictibus *c*omitatibus *que,* V 13 p. 117.
* *c*ustodia — *c*ellarum, IX 21 p. 209.
* ***d***amna *d*ebilitates *que,* V 12 p. 114.
*d*esiderium *d*olorem, V 17 p. 121. IX 10 p. 222. XIII 15 p. 289, XIV 5 p. 299. 6 p. 300 [SB p. 52. 53].
* *d*estinatum *d*amnatum *que,* IV 4 p. 87.
(* *d*ignitatis *d*olore, *d*ignitas *d*oloris, X 9 p. 221).
* ***f***aces — *f*lamma, IV 16 p. 98.
*f*aces *f*lagella *f*urias, XII 28 p. 269; *f*uriales *f*aces, IV 16 p. 98. 20 p. 102 [SB p. 55].
(* *f*avilla *f*unebri, X 5 p. 217.)
*f*elices — *f*ortunatius, XII 14 p. 255
*f*elicissima — *f*ortunatis, XII 22 p. 263 } [SB p. 55].
*f*erro — *f*ame, IX 10 p. 199.
*f*ictus *f*ucatus *aut,* X 2 p. 213 [SB p. 56]; idem Novat. de trin. 10.
* *f*idiculae *f*lagella *asynd.,* VII 13 p. 164 bis.
* *f*ocum *f*umosa *et,* XIII 4 p. 275.
(***g***loriae *g*audio, IV 2 p. 85); cf. *g*audent *g*loriantur *et* Salvian. gub. 5,18. Auson. epist. 16 [Arch. XIII 44].
* ***i***ctus — *i*gnes [-ibus], XVIII 14 p. 360. XIX 4 p. 366.
*i*ra *i*ndignatione *asynd.*, VIII 6 p. 171; *i*ndignor *i*rascor *asynd.* X 7 p. 219 [SB p. 62].
*l*egum *l*ibertatis *que,* VII 1 p. 153. XIII 14 p. 288 [SB p. 64].
*l*ucem *l*ibertatem *que,* VI 21 p. 149. IX 20 p. 209 [SB p. 67].
(*l*uce — *l*ibera, V 20 p. 124.)
*l*uctibus *l*acrimis *ac,* X 1 p. 212 [SB p. 66, Arch. VIII 45].
*l*uxuria *l*ibido *asynd.,* IV 10 p. 92 [SB p. 66].
* ***m***ente — *m*otu, IX 9 p. 197; *m*otum — *m*ente, XI 7 p, 237.
*m*ite — *m*ollis, XI 16 p. 204; *m*olles — *m*itia, X 10 p. 222 [SB p. 69, Arch. III 450].
* *m*ores *m*entes *(que),* V 1 p. 105 [V 19 p. 122. XVII 9 p. 340. XIX 7 p. 369]; *m*ens — *m*ores, VIII 12 p. 177; cf. de vir. ill. VII 15.

* *m*uliebre *m*aternum, X 6 p. 218; cf. *m*ulierum *m*atronarum *ac* Firm. Mat. math. I 8,40.

nurum *n*epotes*que*, XVIII 5 p. 354 [Arch. III 450].

* ***o***ccursus [*c*olloquia], *o*scula [- *c*onvictus *que*], XIX 9 p. 371.
*o*ccursus — *o*culi, VIII 12 p. 177.
* *o*ccursus — *o*ra, XIX 3 p. 365.
* *o*culi — *o*ra [1]), X 15 p. 227. XIX 10 p. 371. 15 p. 375.

* ***p***arentes *p*ropinquos *que*, V 16 p. 119.
* *p*atrem *p*ropinquos *asynd.*, VI 22 p. 150.
* *p*estilentia — *p*roeliorum, XII 15 p. 256.
* *p*lanctibus *p*langore [2]), VIII 10 p. 176. X 4 p. 217.
* *p*raecipitia — *p*lana, XVII 17 p. 347.
*p*recibus — *p*lanctu VI 5 p. 132. *p*langeres — *p*recareris VI 19 p. 147.
*p*rivatum *p*roprium *ac* XII 25 p. 267 [Arch. III 451].
*p*udore *p*ietate, I 1 p. 2 [Arch. III 452].
*p*udor *p*aenitentia *que*, XVII 3 p. 334; cf. XII 14 p. 255 [SB 79].

* ***s***aginatus *s*atur *et*, XII 2 p. 242.
*s*altus *s*ilvas *et* [- *s*olitudine], XIII 11 p. 284 [Arch. III 452].
*s*anctitatis *s*everitatis *que*, III 4 p. 63.
* *s*ecretum *s*olitudinem *[que]*, XII 27 p. 269. XVII 17 p. 347; cf. I 13 p. 32.
* *s*ecure *s*impliciter *asynd.*, XVIII 4 p. 352.
* *s*ermonem [-s] — *s*ecretum, XVIII 1 p. 351. 11 p. 358.
*s*everitas — *s*aevitia, XVII 9 p. 340 [SB p. 80].
*s*ollicitas *s*uspensas *que*, X 17 p. 229 [SB. p. 85, Arch. III 453].
* *s*piritus — *s*alutem, XII 18 p. 259.
* *s*pes — *s*olatia, XII 17 p. 258.
* *s*tatio — *s*edes, VI 17 p. 145.
* *s*ubinde — *s*aepe, XVII 9 p. 340.

[1]) cf. A. Otto, Sprichw. d. Röm s. v. os 1. Verg. Aen II 531. Quod O. Keller l. l. p. 50 dicit Quintilianum formulam ‚oculi *ora*' semper evitasse eique ‚vultus oculi' substituisse, si Bonnelli lexicon sive Woelfflini indicem s. v oculos ora inspexisset, non iam illud pro certo affirmaret. Legitur enim i o. II 4, 18 *os* oculosque.

[2]) planctibus ploratu *Burm.*, plangore *V* legendum esse infra demonstrare conabimur. v. ‚Adnotationes criticae' ad VIII 21 p. 187.

* *s*uperos *s*idera *asynd.* XV 5 p. 311.
* *s*tatim — *s*ubito XVII 11 p. 341.
*s*ubito *s*tatim *que* XI 6 p. 236.
* *t*abulas — *t*estamento XIX 16 p. 376 [cf. SB p. 85].
* *t*arda *t*repida *et* II 21 p. 57.
* *t*ormentum — *t*abes XII 15 p. 256.
*t*ristis *t*erribilis *que* VIII 22 p. 188; cf. XIV 2 p. 296 [SB p. 86].
*t*ruces — *t*erribilis II 24 p. 59.
*v*erborum — *v*oluntatis VI 11 p. 139.
* *v*estis — *v*elamenta XVIII 13 p. 360.
*v*inculis — *v*erberibus V 8 p. 111 [SB p. 90. Arch. III 544].
* *v*ive — *v*incas II 24 p. 59. V 1 p. 104. *v*ivo *v*inco *atque* Paulin. Nol. epist. 37, 2; SB p. 87. 92.
*v*iventes — *v*ideo XII 9 p. 250 [SB p. 92. Arch. III 454].
*v*irtutum *v*oluptas XIII 16 p. 291 [SB p. 91].
*v*ocem — *v*erba XVIII 14 p. 361 [SB p. 93].
* *v*olatilem *v*agam *que* X 8 p. 220; idem Vulg. interpr. Levit. 13, 5, 7.
*v*olucre *v*agum *et* XIII 7 p. 280 [SB p. 87]; adicias
Cic. de div. II 38 § 80 *v*olucres — *v*agantes.
Cic. rep. I 17 § 26 *v*olitare *v*agari.
Ps.-Vergil. Cir. 197 *v*agae — *v*olucres.

Quo in indice consilio negleximus exempla id genus: infinitum immodicum IV 6 p. 88, incognita inaudita XI 5 p. 235, confici consumi XII 1 p. 242, complorare conqueri XVIII 17 p. 347 alia.

Quatenus formulae, quarum altera vox ex duabus partibus constat, praepositione et parte nominali seu verbali, veluti *c*arus ac-*c*eptusque, de-*l*icias *l*ibidinesque (cf. Arch. III 441. IX 599 sq.), huc pertineant, nondum satis liquet. Kuičala l. l. 441 haec de hac re dicit: ‚Die Zusammensetzung hindert die Allitteration nicht; das zusammengesetzte Wort gilt behufs der Allitteration für zwei einfache.‘ Itaque huc spectare videntur
*c*alumniari — in*c*usare IV 19 p. 100.
*c*asibus in*c*ertis *que* XVII 16 p. 345.
ac*c*identia *c*asus *que* IV 11 p. 93. ac*c*identium *c*asus V 23 p. 126.
in*d*ignatio — *d*olere II 13 p. 51. XI 4 p. 234. XII 10 p. p. 251. XIV 2 p. 296. XVII 17 p. 346. cf. Apul. met. VII 1. Min. Fel. Oct. 16, 5. 6

*f*ortem – in*f*irmitas IV 20 p. 101 (SB p. 58). cf. Salv. gub. 3, 3 alter *f*ortis, a. in*f*irmus (Arch. XIII 46).
de*l*icati – *l*uxuriae III 4 p. 63. XII 17 p. 257. cf. Arch. IX 570.
com*pl*oratio — *pl*anctus XII 18 p. 258.
in*s*anos — *s*aevis IX 12 p. 200.
ex*s*equias — *s*epulturam XII 13 p. 254.
*s*ocia — con*s*cia II 12 p. 50; *s*ocius con*s*cientiae I 7 p. 19.
*s*olatio — per*s*uasione X 1 p. 212.
de*s*olatam — *s*ecretum XIX 16 p. 376.
*s*pei – con*s*olationis IV 12 p. 94.
*s*peras — ex*s*pectas XV 14 p. 320 (SB 84).
*s*ponte con*s*ilio *asynd.* IV 10 p. 93.
*t*aedium de*t*estatio *ac* XII 9 p. 249. cf. *t*aetrum de*t*estabile *ac* Salv. gub. IV 26 (Arch. XIII 47). Decl. in L. Serg. Catil. 18, 64 Zimmerer (München 1888).
*v*anum super*v*acuum *et* X 11 p. 223.
*v*enire — re*v*erti II 17 p. 54.
*v*ilia de*v*ota *ac* XII 18 p. 259.

Praeter has formulas passim per declamationes usurpatas vocibus eleganter electis apteque conexis figuram quam vocant allitterationem sine dubio petitam videmus. Quae exempla cum longum sit hic omnia afferre, perpauca quibus luculenter id studium cognoscas, explanabimus.

1) Tria vocabula ab eadem littera incipiunt (παρόμοιον Arch. XIII 584): I 7 p. 18 *s*uo *s*olus *s*ecum IV 16 p. 98 *f*ugientes *f*uriales *f*aces V 7 p. 111 *p*ignora *p*rima *p*erierunt X 10 p. 222 *i*llatae *i*nique *i*niuriae XVIII 17 p. 363 *p*raecipiti *p*ietate *p*roperassem XIX 11 p. 373 *p*ati *p*udorem *p*arricida.
2) Quattuor pluraque vocabula: X 13 p. 224 nec *v*ana *v*oce *v*ulgavi *v*enire te XVII 1 p. 333 *p*utatis *p*arricidium *p*atrem *p*erose (v. Dess. p. 100) III 6 p. 64 *c*ollatis *c*um (hoste) *g*ravissimo *c*omminus *c*astris *c*um (cf. arch. IX 5). V 15 p. 118 *c*ui (merito) *c*esserint *c*unctae *c*alamitates (in) *c*uius *c*omparatione *c*onsociari.

Quamquam his exemplis patere puto, figuram hanc rhetoricam nimium arrisisse scriptori, studium tamen illud formulas notissimas classicisque qui vocantur scriptoribus semper adhibitas tamquam obsoletas immutandi aliasque vetusti-

oribus substituendi in his quoque declamationibus facile cognoscitur.

Ita quidem non solum ‚*l*uctibus *l*acrimis' X 1 p. 212 coniunctum videmus, sed etiam ‚*querelis lacrimis*que' XVII 4 p. 335, *lacrimis gemitu*que II 6 p. 44. V 18 p. 121. 19 p. 123. XVII 4 p. 336. XIX 2 p. 364, *complorationes gemitus*que V 16 p. 120, *planctibus lacrimis*que X 1 p. 212. 19 p. 230, *maerore lacrimis* XV 14 p. 321, *gemitus lacrimae* XVII 20 p. 349. XVIII 17 p. 363. Huc porro spectant

*satis abunde*que I 15 p. 34. V 16 p. 119. IX 12 p. 200. Ante: *s*atis *s*uperque (Woefflin, Allitt. Verb. p. 81), satis satis iam, satis iam satis (Plaut. Bacch. 1182. Ter. And. 320. Heaut. 439) cf. Woelfflin, Die Gemination im Lat. (S.-B. d. K. B. A. d. W. 1882 p. 483). primum nobis ‚satis abundeque' occurrit (cf. Thes. s. v. Arch. VII 244 sqq.) apud Sen. (patrem), contr. X 5, 15, non apud filium (ut arch. VII 414 dicitur).

*compositum formatum*que IV 14 p. 96 (v. Adnot. crit. ad IV 14 p. 96.) — formare figurare Cic. de nat. deor. I 110. fingere formare Cic. Brut. 142. de or. III 177. (cf. Wölfflin, Allitt. Verb. p. 56. 58. Arch. III 447)

*faciem vultus*que II 3 p. 41 — oculos ora (v. supra!) cf. vultus — facies II 24 p. 59. oculos vultus XVII 18 p. 347. XVIII 6 p. 368.

igni ferroque III 13 p. 69 (prius ferro ignique, ferro flamma vel flammis, similia Woelffl. p. 55. Arch. III 447)

iterum ac saepius V 14 p. 117. XIII 11 p. 284. XVII 12 p. 342. ante: semel ac saepius, similia Woelffl. p. 82. cf. subinde — saepe XVII 9 p. 340, iterum ac subinde XVI 10 p. 331. [1])

[1]) Cum particulae ‚*saepe, subinde, frequenter*', quae eadem significatione in decl. adhibeantur, non tamen ita distributae sint, ut hac in decl. ‚saepe' tantum, in illa ‚subinde' vel ‚frequenter' inveniatur, fieri non potest, ut eo usu efficiamus declamationes diversis compositas esse scriptoribus Ita quidem legitur V 17 p. 120 *subinde*. 18 p. 121 *frequenter*. 20 p. 123 *saepe*. XV 6 p. 311 *subinde*. 2 p. 308. 9 p. 316 *saepe*. 12 p. 319 *frequenter* bis. Invenies porro, si recte notavi: *saepe* III 6 bis. VI 10. IX 2. 17 bis. X 6. XII 15. XIII 8 XVII 9. *subinde* I 12. III 18. VII 6. X 14. 15. XII 7. 8. 18. XVI 6. 9. 10. XVII 6. 9. 12. *frequenter* I 15. VIII 10. XII 22. XIII 3. XIV 7. 11 XV 14. *saepius* I 4 10. V 14. VI 19 XII 22 XIII 11. XVII 12. v. Woelfflin, Sitz.-Ber. der K. B. Ak. d. W. 1880 p. 410 sq.

lucem ac sidera XII 14 p. 255 - solem ac sidera Mart. 9, 25, 9 (Arch. III 452) cf. Kuičala l. l. p. 104, qui Aen. IV 322 solem ac sidera legi vult. *sideribus ac diei* XII 28. p. 269.
ferro ac mente I 8 p. 21 - armis atque animis (Woelffl. p. 48).
*vires animos*que III 5 p. 64. vires virtutemque Nep. VIII 1, 4 et plura exempla Arch. III 454.
*quaeso obtesto*rque XIV 2 p. 296. oro obtestorque Woelffl. l. l. p. 73 adn. 1. p. 72.

Praeter denique allitterationis et petitae et devitatae exempla illius quoque rei vestigia in declamationibus inveniuntur, qua iam inde a Frontonis Apulei aevo percrebrescenti (cf. Arch. I 359 sqq.) prisca illa figura ita reprimitur [1]), ut in Augustini e. g. libris plane fugata videatur (Arch. III 455), numerorum dico concentum quem (ὁμοιόπτωτον, ὁμοιοτέλευτον), nos dicimus ‚Reim.' Cf. E. Norden, Ant. Kunstprosa II 810 sqq., Aeneis VI p. 396 sqq. Cuius exempla haec nos iuvat afferre: vanitas *cupido,* luxuria *lubido* IV 10 p. 92. ne*glectus* de*spectus* VI 22 p. 150 (Arch. I 358). multum *resistens,* saepe *respiciens* X 6 p. 217. erat *lex* forum *iudex* XIII 11 p. 285. mihi *m*ite *pectus* et *m*ollis af*fectus* IX 16 p. 204. *stabit* labo*rabit* XII 18 p. 258. *nexas* — am*plexas* XIII 6 p. 278.

EXCURSUS II (ad VI 14 p. 141).

Hic cum apta nobis praebeatur occasio, pauca proverbia e declamationibus excerpta et quae neque in Ottonis libro neque in illi addendis (Arch. VIII 23 sqq. 397 sqq. 483 sqq. IX 53 sqq. XIII 253 sqq. 379 sqq.) exemplis collectis invenias, addimus. [2]) Velit nolit V 3 p. 106. 21 p. 124. XVIII 17 p. 363. velis nolis V 18 p. 121 (cf. Rhein. Mus. 37 [1882], 87 sqq.) — *velle* 1) Otto p. 362. Ne vestigio quidem abiisse a miseris licet VI 20 p. 148 — *pes* 5) Otto p. 275. Quasi portum benignitatis aperire IX 16 p. 204 — *portus* 2) p. 285. Videns sentiensque IX 20 p. 209 — *vivus* 3) Otto p. 377; cf. Apul. met. IV 34 iam sentio iam video; alia Arch. XIII 405. Ut numen et deus delabi sideribus et venire de liquido

[1]) In Gallia quidem etiam postea ‚allitteratio' latius patet. cf. F. Ranninger, Über die Allitteration bei den Gallolateinern d. 4., 5., 6 Jahrh. Landau 1895. (Arch. IX 608).
[2]) Pleraque quidem occupavit C. Weyman (Arch. VIII 397 -411. XIII 395. 405).

puroque aere videbatur [1]) X 14 p. 226 — *caelum* 8) Otto p. 62. cf. III 3 p. 61 exemplum divinitus nobis datum [2]) (v. ad hunc locum C. Morawski, Eos II 1 [1895] p. 2 sq.) XV 8 p. 314 numina quoque detracta sideribus misit in terras (amoris furor). In portu naufragium fecimus et frumentum ad ancoras perdidimus XII 23 p. 265 — *portus* 1) Otto p. 284. Naufrago tabulam abstulisti, mortuo applicas navem XII 23 p. 265 — *navis* 4) Otto p. 240 adn. *) (cf. autem arch. VIII 492). Ferreum pectus XII 26 p. 267 sq. — *ferrum* 1) Otto p. 134. Uno ore XII 26 p. 268 — *os* 4) Otto p. 259. Cito labitur dies XIII 2 p. 273 — *dies* 1) Otto p. 112. Diliguntur immodice sola, quae non licent XIV 8 p. 302 — *licet* 1) Otto p. 193. Vincet tamen res ista *mille linguas* VI 21 p. 149 — *lingua* 1) Otto p. 195.

Qua de locutione ‚*mille linguae*' proverbiali fusius disserere non pigebit, quippe quae omni ex parte plurimum habeat iucundi. Quodsi Vergili et declamationum sermonem inter se comparantes per Romanorum litteras locutionis fata persequimur, haec Vergiliana inprimis nos decet afferre Georg. II 43 — Aen. VI 625 (cf. ad hunc locum E. Norden): Non mihi si *linguae centum* sint oraque centum, Ferrea vox. Sed Maronem non modo non huius sententiae, sed ne formae quidem qua expressa est auctorem fuisse, iam Servius (Aen. VI 625) intellexit: Lucreti sunt versus, qui scripsit VI 840 Non mihi si *linguae centum* sint oraque centum Aerea vox, quae verba ut multa Lucretiana [3]) una mutata voce in suum usum convertit Vergilius. Sed ipsum Lucretium si non verbis omnibus, at sententia praecedentium vestigiis institisse his versibus cognoscas Caec. Stat. fr. 126 sq. (p. 65 R[3]) Si *linguas decem* habeam, vix habeam satis te qui laudem. Plaut. Bacch. 128 si *decem* habeas *linguas*, mutum esse addecet. Atque haec quidem forma proxime accedit ad Homeri versus, quem quasi parentem nominare non dubitamus. Legitur enim *B* 488 sqq. Πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ' ὀνομήνω, Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν, Φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.

[1]) Cf. supra hunc locum inter Vergiliana expositum.
[2]) Quod Ritterus l. l. p. 21 ‚prodigium' (III 3 p. 61) simili significatione adhibitum putat atque ‚exemplum divinitus nobis datum', maxime a totius loci sensu est alienus (prodigium = tribunus).
[3]) Cf. R. Wöhler, Über den Einfl. d. Lukrez auf die Dicht. der august. Zeit. I. Teil, Greifsw. 1879.

Quam sententiam ad originem reductam porro iam persequamur per Romanorum post Maronem litteras. Nam permultis videlicet sententiam cum aliis tum Vergilio expressam valde arrisisse, qua eius carmina utebantur auctoritate, non est quod dicamus. Itaque Ovidi versus (met. VIII 533), Pers. V 1 (cf. O. Jahn ad hunc locum), Sil. Ital. IV 525 sqq., PLM (Wernsd.) IV 540, 132 hic omnes afferre supersedemus. Qui cum omnes numero ‚*decem*' iam pridem spreto ‚*centum*', quem Hostius [1]) (hexametri causa?) in litteras induxisse videtur, iam apud Ovidium inveniuntur vestigia illius, ut ita dicam, victoriae, quam quasi reportavit studium in maius efferendi. In fastorum II 119 sq. legimus: Nunc mihi *mille* sonos, . . , vellem, . . . inesse. Val. Flacc. autem (VI 39 sq.) haud dubitat priscum illud Homericum hoc modo vertere: Verum ego nec numero memorem, non nomine cunctos *mille* vel *ora* movens. Quodsi vero Amm. Marcellinus XXI 9, 3 Famae ‚*mille*, ut aiunt, *linguas*' tribuit, locutionem sermonis poëtici inprimis propriam proverbium factam videmus, quo, id quod M. Hertz (Herm. VIII [1874] 272 adn. 1) coniecit, ante Ammianum utuntur Apul. met. XI 25 (ora *mille linguae*que *totidem*) et hic Pseudo-Quintilianus [2]). Plura posterioris aevi exempla apud Woelfflinium in archiv. IX 185, XIII 449 invenies. Hic notatu dignum esse videtur in nostras quoque litteras Germanicas priscam illam locutionem recenti quasi vestimento indutam translatam esse, carmen dico ecclesiasticum, quod ita incipit:

O daß ich *tausend Zungen* hätte
Und einen *tausendfachen Mund!* [3])

Animadvertas quam apte poeta (Ioannes Mentzer 1658 -1734) numerum pluralem vocabuli ‚Mund', quo nostra lingua rarissime utitur, quasi scopulum evitaverit.

[1]) Cf. Hostium (apud Macrob. VI 3, 6) . . . non si mihi *linguae Centum* atque *ora* sient *totidem* vocesque liquatae. Fortasse ad Ennium locutio est referenda.

[2]) Alia Ammiani et Pseudo-Quintiliani communia protuli in archivi volumine XIII (1904) p. 200. Vide infra Adnotat. crit. ad XIV 12 p 305.

[3]) Cf. Wander, Deutsch Sprichw. Lex. Leipz. 1880. V col. 636: Eine Zunge ist schon zu viel, klagte der Bauer, als seine Frau sang: „O daß ich *tausend Zungen* hätte!"

EXCURSUS III.

His praecipuis quae in declamationum corpore inveniuntur expositis Vergilianis, ne unus ille poëta scriptori exemplo fuisse videatur, paucis iam locis adferendis ostendamus eorum quoque lectionis poëtarum, quorum carmina praeter Vergiliana maxime perlecta esse omnes consentiunt, satis manifesta reperiri vestigia [1]).

OVIDIANA (Merkel).

I 3 p. 8 (dicitur caecus) . . . per tot *offensa limina* . . . (errasse cum ferro) — Her. XIII 88 pes tuus *offenso limine* signa dedit.

12 p. 30 *hoc quid esse dicamus, quod* . . . vestigium quasi incipit? — Am. I 2, 1 sq. *Esse quid hoc dicam, quod* tam mihi dura videntur Strata . . . ?

IV 11 p. 93 infirmae prorsus terrenaeque mentis [2]) est, ut *numeretis annos,* ego virtute consenui. — Met. VII 448 sq. Si titulos *annosque tuos numerare* velimus, Facta premant annos.

VI 3 p. 129 *flere* enim *certe* per legem *licet* — Her. VIII 61 *Flere licet certe:* flendo defundimus iram. cf. X 10 p. 222, 19 coniugi *flere liceat.* XII 14 p. 255 . . . everti *certe licet.*

7 p. 133 *e puppe prospecto* — Met. III 651 *E puppi* pontum *prospectat* adunca. De formis ‚puppi — puppe' cf. Georges, Lex. d. lat. Wortf. s. v.

VII 7 p. 159 *felices illos, qui* recusare voluerunt — Her. XVIII (XIX), 111 sq. *Felices illas,* sua *quas* praesentia nosse Crimina vera iubet, falsa timere vetat! Fast. I 297 sq. *Felices* animae, *quibus* haec cognoscere primis Inque domus superas scandere cura fuit.

IX 9 p. 197 *supremæ* . . . *oscula* — Met. VI 278. v. Vergiliana IX 9 p. 197.

---

[1]) Nonnullas verborum iuncturas et locutiones scriptor ex Catulli, Tibulli, Iuvenalis (sat. VI), Lucani, Senecae, Terenti carminibus in usum suum excerpsit, quas alibi enotare in animo est.

[2]) Terrena mens Priscill. p. 75, 17 Schepss. cf. VIII 13 p. 178 (Lehnert, Philol. 62 [1903] p. 431).

9 p. 198 *primo iuventae* flore *fraudatus* periit miser — Met. X 196 laberis Oebalide, *prima fraudate iuventa.* v. Vergiliana III 16 p. 72. Mühlmann, Thes. I 3. 548.

16 p. 204 quasi *portum benignitatis aperire* — Trist. IV 5, 5 sq. Qui veritus non es *portus aperire fideles* Fulmine percussae confugiumque rati [1]).

20 p. 208 *praeceps cucurrit* — Am. III 11, 25 Dicta erat aegra mihi, *praeceps* amensque *cucurri.*

X 15 p. 227 *ire in istos* oculos, *in ista ora* debebant -- Her. XI 91 sq. tunc demum pectora plangi Contigit *in*que *meas* unguibus *ire comas.* Am. I 7, 64 protinus *in vultus* unguibus *ire meos.*

XII 6 p. 246 *fugientia vela* longo *visu prosecuti* — Her. V 55 *prosequor* infelix *oculis abeuntia vela.*

8 p. 249 animus *malis deriguerat* — Met. VI 303 *deriguitque malis* (Niobe). Ad ‚derigesco — dirigesco' cf. Georges, Lat. Wortf. s. v.

16 p. 257 omnis *excipe auras* — Ars am. III 301 sq. Haec movet arte latus tunicisque fluentibus *auras Excipit* (accipit Merkel).

24 p. 266 *publicus reus* rediit — Trist. I 1, 24 et peragar populi *publicus* ore *reus.*

26 p. 268 *inguinibus virginis latratum* Siciliae litus -- Am. II 16, 23 non quae *virgineo* portenta sub *inguine latrant.*

XIII 6 p. 278 Quae de apibus veneno hausto perituris disseruntur, Niobeae prolis fati miserabilis quomodo ab Ovidio (met. VI 290 sqq.) depingitur maxime nos admonere nemo negabit. Ita quidem praeter universam utriusque enarra-

---

[1]) Cf. A. Otto, Sprichw. d. Röm. portus 2 p. 285. portus vocabulum per metaphoram cum genitivo nominis abstracti coniunctum iam apud Ciceronem invenimus, veluti fam. VII 30 portus philosophiae (sine ‚quasi' vel ‚tamquam' particula), ad Brut. I 5, 2 fugae portus et subsidium salutis (iterum [in epistola!] ‚quasi' omisso), Brut. II § 8 *tamquam* in portum non inertiae neque desidiae, sed otii moderati atque honesti. Posteriorum scriptorum Lactantius saepius metaphora proverbiali utitur (ubique particula, quasi ‚tamquam' omissa): portus salutis I 573, 3. 725, 7. 749, 8 B., Ovidi forte verba secutus rem. am. 610 inque suae portu paene salutis erat. cf. etiam Lact I 508, 4. 531, 1 B. ‚portus salutis' etiam Paulin. Nol. ep. 4, 3 (p. 22, 6 Hartel). portus securae quietis Priscill. p. 4, 13 Sch. Ennodio idem valet vocabulum stationis.

tionis structuram similem haec communia patent: Met. VI 295 sq. haec *frustra fugiens* collabitur — 6 p. 278, 7 *fugisse nihil prodest.* v. 295 sq. illa *sorori immoritur* — 6 p. 278, 9 haec primo statim *flosculo immoritur.* cf. XVII 4 p. 335. verbum *immoriendi* primus exhibet Horatius. v. 297 sexque datis *leto diversa*que *vulnera* passis — 278, 13 quis figurare possit, . . . quam *varia leti genera* fecerint tot mortes? [1]). v. 291 imposito fratri moribunda re*languit* ore — 278, 11 alia . . . per terram *languide* repit.

XV 9 p. 315 *miserabilis sis oportet, ut amator esse videaris* — Ovidianum praeceptum a. a. I 737 sq. Ut voto potiare tuo, *miserabilis esto, ut* qui te *videat, dicere possit ‚amas'.*

HORATIANA (Keller-Holder).

III 3 p. 62 (militis Mariani) mater frigoribus ac *solibus perusta* dicitur ex versibus Hor. epod. II 41 sq. Sabina qualis aut *perusta solibus* Pernicis uxor Apuli. cf. XII 4 p. 245 *perustis sole* herbis.

V 16 p. 119 *ruiturae molis* — c. III 4, 65 *mole ruit* sua.

VI 3 p. 130 me *per* omnia *maria volitantem* . . . circumvenit . . . latrocinium — c. IV 5, 19 pacatum *volitant per mare* navitae.

7 p. 134 *iam satis est* — Quam locutionem, cum etiam alibi inveniatur (Plaut. Asin. II 2, 63 [329], III 3, 117 [707]), Horati non propriam minime etsi negamus, nihilo minus haec inter Horatiana afferre licet notissimum locum sat. I 1, 120 *iam satis est.* cf. etiam c. I 2, 1 *iam satis* terris eqs., quod versus Sapphici initium invenitur etiam apud Senecam Med. 668 (C. Weyman, Bem. zu Horaz l. l. p. 230).

[1]) Cf. ad sententiam Verg. Aen. II 369 plurima mortis imago. Ovid. met. X 726 repetitaque mortis imago. Tac. hist. III 28 varia pereuntium forma et omni imagine mortium. Schiller, Wilhelm Tell III 1 Den Alpenjäger hascht der Tod in *hundert* wechselnden Gestalten Lucan. III 685 *Mille* modos inter leti mors una timori est, Qua coepere mori.

VIII 13 p. 178 inter illa transcurrentis *horae momenta* — cf. sat. I 1, 7 sq. *horae momento* cita mors venit. ‚horae momento, (idem XIII 15 p. 289 unius *horae momento*) primus Horatius (sententia Staceii in archiv. X 55) coniunctum usurpavit, eumque Livium V 7, 3 aliisque locis secutum esse verisimile est. Curt. IX 6, 21. Sen. dial. IX 11, 9.

IX 17 p. 205 multa saepe et locupletibus accidunt, saepe in *imum summa* decidunt — Eandem sententiam Flaccus c. I 34, 12 sq. hunc in modum reddidit: (Juppiter) valet *ima summis* Mutare et insignem attenuat deus [1]). Neque tamen hunc locum Pseudoquintilianeum ex Horatiano pendere cum Burmanno putari velimus, quippe cum hanc locutionem scilicet proverbialem multis scriptoribus adhiberi videamus. Itaque tribus quae A. Otto (s. v. summus p. 335) praeter Horati versus affert exempla (Lucil. apud Non. p. 88, 9 [27, 12 p. 94 M. n. 546 Baehr.] Hegesipp. 1, 20, 3. Boeth. consol. phil. 2, 2) C. Weyman arch. VIII 36. 410 quinque (Amm. XXVIII 1, 15. Lucan. III 138 sq. Plin. n. h. 32, 64. Aurel. Vict. 33. Ps.-Quint. decl. mai. IX 17 [locus de quo agitur] et Sonny in archiv. IX 77 sex (Cic. legg. III 19. Vell. Pat. II 2, 13. Val. Flac. IV 517. Curt. VIII 8, 8 [26, 8]. Rut. Nam. II 44. Boeth. cons. phil. II 7 metr. 14) adiecerunt [2]). Quibus equidem addo Tac. hist. IV 47 [3]) magna documenta instabilis fortunae *summa*que et *ima miscentis*. Auson. epigr. 143, 3 (fortuna) *summa* in *imum* vertit. Quod igitur E. Klebs (Philol. N. F. 3 [1890] p. 303) locutioni notam Sallustianae imprimi voluit, proverbialem quam habeat naturam non intellegere videtur.

X 2 p. 214 uxor experta . . . *non totum mori* hominem — cf. c. III 30, 6 sq. *Non omnis moriar* multaque pars mei Vitabit Libitinam. Sen. Troad. 387 an *toti morimur . . ?*

8 p. 220 multum celebrati *curvato igne torrentes* — Phlegethonta flumen infernale hac periphrasi indicari Burmannus suo

[1]) Cf. ad hunc locum C. Weyman, Bem. zu Horaz l. l. 240.
[2]) Cf. C. Weyman, arch. XIII 399, ubi pauca alia exempla invenies.
[3]) Cf. G. Heraeus ad hunc locum. cf. porro: *imis summa cessisse* Symmach. laud. in Valentin. II 3 p. 16 Mai. E. Henrich, Die sogenannte polare Ausdrucksweise im Griechischen (Pr. Neustadt a. H. 1899) p. 4. 7.

iure monuit: Aen. VI 550 legitur: Quae (moenia) rapidus flammis ambit *torrentibus* amnis. Sed ‚*curvato igne*' illud, quod Burm. quid sibi vellet non potuit intellegere, ex Horati c. IV 2, 57 sumptum patet, ubi de vitulo (!) ait poëta: Fronte *curvatos* imitatus *ignes* Tertium lunae referentis ortum. v. Vergiliana X 8 p. 220.

RECAPITULATIO.

Quodsi ea quae ex declamationibus excerpta Vergili Ovidi Horati carminum locis contulimus animo complectimur, et multa inprimis Vergiliana nobis occurrisse assentiri oportet, quae ex ipso Vergilio sumpta esse pateat et alia haud pauca quae dubites Vergiline haec essent propria an communia huic aliisque poëtis. Quae quod ambigua inter certa enumerare non dubitavimus, praeter eam quam supra laudavimus rationem hac ducti sumus opinione Vergilio, magno poëtae omniumque praestantissimo, plus ad Romanorum scriptores auctoritatis tribuendum esse quam ceteris omnibus. Itaque praeter ampliora et quae nemo addubitabit imitationis exempla singulas etiam voces et locutiones, siquidem primo in Vergili carminibus inveniuntur, haud cunctanter indici inseruimus, quippe quae si non omnia illinc in declamationes manasse necesse sit, at perfacile manare potuisse nemo neget. Permulta sane in censum non venirent, si alia eaque certiora lectionis Vergilianae vestigia afferri nequirent.

Ipsa vero imitandi ratio ac via quam varia sit nec non intricata compluribus locis illustrare studuimus. Nam cum poëtas Romanorum permultos solidos saepe versus e praecedentium carminibus non surripiendi, sed palam mutuandi causa (Sen. suas. III 7. Macrob. sat. VI 1, 6) in sua transtulisse videamus [1]), ut Vergilium Lucretianos, Vergilianos Ovidium, rerum scriptores multis modis quae orationi illustrandae inserunt lumina poëtica quasi

[1]) Nuper hoc paucis quae ad Vergilium spectant exemplis illustravit Fr. Leo, Vergil und die Ciris. (Herm. 38 [1902] p. 53 sq.). Cf. etiam G. Kroll, Unsere Schätzung der römischen Dichtung (Neue Jahrb. f. d. kl. Altertum [1903] p. 1 sqq.) E. Norden, Aen. VI p. 359 sqq.

occaecare student et obscurare. Ita quidem raro, paene dixi nunquam fit, ut versiculus ad verbum excerptus occurrat saepissimeque mutato verborum ordine genuino hexametri numerus evertatur, veluti

I 3 p. 8 *per inane longum* — Verg. *longum per inane*
X 4 p. 217 *altus sopor* — Verg. *sopor altus*
XI 4 p. 226 *profani procul este* — Verg. *procul este profani.*

Plerumque porro observavimus hoc illud vocabulum prosae saepe non ita aptius poëtico substitutum esse, veluti

III 6 p 64 *cruore* concretus — Verg. *sanguine* concretus
X 6 p. 217 fugatis *sideribus* — Verg *stellis* fugatis
XII 8 p. 248 *terram* morientes momorderunt — Verg. *humum* momordit.

Saepissime vero numero, ut omittam studium voluntatemque, qua numerus singularis pluralis, genus femininum masculinum, verba simplicia composita, positivus comparativus superlativus inter se mutantur, saepissime igitur sive voces sive locutiones longe aliis in hominibus aut rebus depingendis adhibentur quam ab ipso poëta, veluti

X 8 p. 220 bellicae portae — Aen. I 291 sq.
XII 28 p. 269 volucris rota — Aen. VIII 433
XIII 6 p. 278 (apes veneno perituraе) — Ov. met. VI 290 sq.

Denique ea quae de Ammianea imitandi ratione acutissime disseruit Martinus Hertz (Herm. VIII (1874) 294 sqq. Ind. schol. Vratislav. 1874) mutatis mutandis has in declamationes perbene convenire videbis.

CAPUT II.

ADNOTATIONES CRITICAE.

I 3 p. 7. *Scitis quanto neglegentius custodiat ferrum bona conscientia, QUAM etiam extra suspicionem sit res sine usu.* — In altera enuntiati parte (quam etiam — sine usu) mendum insidere Schultingius recte suspicatus videtur. Sed qui probata coniectura — quam ei etiam contra (vel erga) suspiciones sit res sine usu — aptius procedat oratio equidem non intellego. Ferro enim quamvis palam posito caecum neque uti velle neque usurum cum nemo nisi ipse pro certo scire possit, semper illud, quamvis bona qui habeat conscientia sit nisus, suspectum esse necesse erit. Itaque caeci ex animo sceleris admittendi sibi inscii scriptum esse velim: *tamquam* etiam e. s. s. r. s. u. Haec coniectura, quae codicis Leidensis primi (Dess. p. 53) lectione ‚*quod* extra suspicionem' firmatur, si placuerit, nihil a genere dicendi Pseudoquintilianeo abhorrebit oratio. Ita quidem ‚tamquam' pro Graecorum particula ‚ὡς' (weil angeblich [?], also eine fremde [?] Ansicht wiedergebend Draeger II^2 680 [§ 536]; contra Woelfflin, Ein verkannter Gräcismus bei Tacitus, Philol. XXIV 115 sqq.; Hammer, Beiträge p. 44 adn. 2) in declamationibus saepius adhibetur. II 18 p. 55 non est, quod sic aestimetis, *tamquam* . . . transierit in mortem. X 2 p. 214 maritus sic filium inclusit, *tamquam* se inquietari mater ista quereretur. X 16 p. 227 tu sic filium inclusisti, *tamquam* nocentes ad inferos revocari soleant animae? XI 4 p. 234 permittunt mihi, iudices, calamitates meae queri de hac lege, *tamquam* parum nobis in ultione prospexerit. XI 6 p. 236 non est . . , quod in excusationem afferat, *tamquam* crediderit et ipse fingentibus. XIV 2 p. 296 ne nobis venefica sic imponat, *tamquam* hoc mei caritate commenta sit. XVIII argum. p. 350 speciosum filium

infamem, *tamquam* incestum cum matre committeret, pater . . . torsit [1]). cf. etiam III 1 p. 60 absolves *tamquam* innocentem (ὡς ὄντα). VII 1 p. 152 veneram *tamquam* nuntiaturus (ὡς ἀγγελῶν).

III 13 p. 70. *Quo ad altiorem quisque SE honorum gradum EXTENDIT, magis in exemplum SPECTANTIBUS patet* — se om. *B(b) V(v) M P(m) S H(p) I(V)* bonorum *V(v) M* honorem *B(b)* exspectantibus *V(v)*. Dubium non est, quin illud ‚extendit' quia ‚se' codd. omnes omittunt, in *‚escendit'* (aut vero *‚ascendit'?*) mutandum sit. Quam emendationem rectam esse his locis patet: Amm. Marc. XXVII 6, 2 *ad* id *escenderat culmen*. Cic. Brut. 68 § 241 *ascendisset ad honores*, nisi in facinore deprehensus . . . poenas dedisset. Mur. 27 § 55 ex honoribus continuis familiae maiorumque suorum *in hunc ascendere gradum dignitatis* conatur. off. II 18 § 62 ut *altiorem gradum ascendant*. Verg. Cir. 205 candida concessos *ascendet* ciris *honores*. Liv. II 28, 6 in tribunal *e*scendunt [*a*scendunt cod.] Nep. Phoc. 2, 3 eum quem tenebat *ascenderat gradum* [2]). Quod ad lectionem codicis *V(v) ‚ex*spectantibus' attinet, C. W.(eymanii) opinio *‚exspectata'* orthographia variatum idem valere quod *‚spectata'* iudicantis (in archiv. IX 546; cf. etiam ibid. IV 49. X 11) hoc aliisque locis Pseudoquintilianeis firmari potest: I 10 p. 27 exercitata manus Burm. exspectata *V(v)*; legendum est: *spectata*. (cf. Ha. p. 52). VII 1 p. 152 exspectaveram Burm. — spectaveram *V*. XII 6 p. 246 spectatis Burm. — exspectatis codd. Itaque etiam per totum fere Ps.-Cypriani vel potius Novatiani de spectaculis libellum pro ‚spectare' codices ‚exspectare' exhibent (Hartel, Ind. Cypr. III 453).

III 13 p. 70. *Tribunus inter scorta VOLUTABITUR?* — Quod codices deteriores exhibent *‚voluptabitur'*, Burmannus quam perversa lectio esset suo iure castigavit. verbum enim volutandi hac ipsa in re sollemne esse haec fere demonstrent: Petron. sat. 79 p. 93, 18 B. *volutatus*que liberius cum

[1]) Plura huius usus exempla apud Bennettium, Die mit tamquam u. quasi eingeleiteten Substantiv-Sätze (Arch. XI 405 sqq.)

[2]) Cf. etiam Amm. Marc. XIV 6, 8 ad *ascensus* verae gloriae tendere longos et arduos. Ceterum cf. Thes. II 757.

fratre. Apul. met. IX 5 quanto me felicior Daphne vicina, quae prandio et mero matutino cum suis adulteris *volutatur*. Ps.-Quint. decl. min. 277 p. 131, 25 R. cum adultero *volutata est*. Itaque O. Keller in libro, quem saepius laudavimus et qui inscribitur ‚Grammatische Aufsätze', hac in re multum errasse videtur, cum l. l. p. 184 diceret: ‚Ein seltsames Quidproquo ist der mittellateinische Ausdruck *volitari* cum aliqua, hin- und herfliegen (sic!?) z. B. in der Universa Medicina des Joh. Fernelius (geb. 1485).' Non ‚*volitari*', quippe quod verbum nunquam fuisse constet, sed *volutari* legendum est.

III 16 p. 72. *FERIENDA sit fatigato fossa — ‚fossam ferire'* etsi minime usitatam esse locutionem Burmanno concedimus, nihil tamen esse puto quod locus in dubium vocetur. ‚*f*erire' enim ‚*f*ossam' i. e. *ferire* terram (saxa, rupem), ut fiat *fossa* (‚*f*atigato' voce addita) nulla alia de causa electum censeo, quam ut figura quae dicitur allitteratio hoc quoque loco efficeretur. Id vero in ipso verbo *feriendi* eo probabilius est, quod vocibus ab eadem littera ‚*f*' ordientibus haud raro ea de causa coniunctum O. Keller l. l. p. 59 compluribus exemplis demonstravit, veluti *f*oedus *f*erire Cic. Rab. Post. III 6. de invent. II 30, 92. Verg. Aen. X 154. Sil. It. IV 503, *f*usti *f*erire, *f*aciem *f*erire Flor. II 13, 50, *f*rontem *f*erire, *f*emur *f*erire, *f*oris *f*erire, triumviri auro argento aeri *f*lando *f*eriundo [*f*ormando] (Mommsen, R. St.-R. II 1[1] 563). Ceterum conferas ‚*f*ossatum *f*igere' (Itin. Hieros. p. 149, 10 Geyer). Videas quoque G. Lehnert in ‚Philologi' volumine 62 (1903) p. 422. G. Heraeus, Arch. XII 267.

IV 14 p. 96. *Inde est quod quidquid nascitur consociata numini proprietate signatur et in totam aevi sui brevitatem compositum FIRMATUMQUE sic accipit futura quasi vitam — formandi* verbum verbo f*i*rmandi substituendum et hoc loco et VIII 12 p. 177 (sibi quisque firmatur, sibi quisque componitur) Schultingium recte coniecisse, praeter illum quem attulit locum IV 16 p. 98 (futuras mentium corporumque formas) ex his satis elucet, quos laudare et potuit et debuit: VIII 11 p. 176 variae mortalibus *formae;* VIII 11

p. 176 inenarrabile indeprehensibile est quidquid nos elementorum varia compago *formavit*. IX 16 p. 204 arbitrio *formantis* mores omnium naturae *compositus*. IX 16 p. 204 corporum . . . *formas*. XVIII 10 p. 357 virginem. . . . natura *formavit*. [1]) Ceterum conferas Amm. Marc. XV 1, 3 *formare* vitam moresque. Schultingi vero coniectura eo multo fit probabilior, quod verbum *f*ormandi cum verbis *f*igurandi (Cic. d. n. d. I 110) et *f*ingendi (Cic. Brut. 142. de orat. III 177) per allitterationis quam vocant figuram in formulas coactum videmus, quae immutantur nova hac verborum coniunctione ‚componere formare' in litteras inducta (Woelfflin, Sitz.-Ber. d. K. B. Ak. 1881, II 56. 58. Arch. III 447). In transcursu commemorare liceat ipsa verba ‚*f*irmandi, *f*ormandi' cum apud Ciceronem tum posteriore aetate (Ambros. Patr. 17, 736 Migne per ipsum formati, per ipsum *f*irmati) coniuncta occurrere (cf. Arch. I 357. III 456. 397).

V 6 p. 109. *ATTOLLE tristissimam faciem — attolle tristitiam* codd. omnes. Una littera mutata aptissime oratio progreditur: erige vultus, pater, *ac tolle* tristitiam; cf. Philologi vol. 61 (1902) p. 478.

[1]) Quod Burmannus etiam VIII 7 p. 172 (vos [h. e. mariti] mores [morae *V* more *B* mores *codd. det. Burm.*] vos *vitae genus*, vos matrimonia ceterosque actus vestra persuasione *firmetis*) legendum esse coniecit ‚*formetis*', nescio an hoc loco, quo sexus *infirmior* (p. 172, 14) *firmiori* opponatur rhetor *firmandi* verbo usus lusum quendam verborum effici voluerit. Complura id genus exempla paulo infra ad X 4 p. 216 enumerabimus. Hic simile studium voluntatemque (eiusdem simplicis verba composita sibi opponendi [παρονομασία]) commemoramus, cuius haud pauca exempla declamationes praebent: *su*spicio — *re*spicit I 14 p. 33, *pro*spexit — *su*spectus II 16 p. 53, *de*ponet — *re*ponet III 9 p. 66, *circum*is — *am*bis III 12 p. 69, *per*tinet — *re*tinet IV 2 p. 85, *con*gerimus *ag*gestu V 6 p. 110, *pro*ice — *ab*ice V 9 p. 112, *assur*gere — *e*rexit V 19 p. 122, *af*ferens — *ob*laturus VI 5 p. 132, *ab*iectum — *in*ice VI 9 p. 136, *ab*iciatur — *pro*iectus VI 12 p. 139, *abs*cessi — *dis*cessi VI 14 p. 141, *a*gnitio — *di*gnoscit VIII 12 p. 177, *ad*olescente *in*doles IX 14 p. 202, *acci*dunt — *de*cidunt IX 17 p. 205, *con*spicitur — *ex*spectat X 2 p. 214, *per*ierunt — *ex*ierunt XII 5 p. 245, *ex*iit — *re*diit XII 23 p. 264, *di*versis — *ad*versa XVI 1 p. 322, *ab*ire — *ob*itus XVII 4 p. 336, *in*cipiat — *ac*cipit XVII 13 p. 343, *abs*consum — *re*conditum XVII 15 p. 345 (Arch. VI 152), *ex*pellit — *inter*pellat XVII 19 p. 349, *e*lige — *di*ligens — *ne*glegens XVIII 8 p. 355, *ob*ici — *ad*ice XVIII 9 p. 356, *de*currunt — *ex*cursus XVIII 9 p. 356. cf. Woelfflin, Das Wortspiel im Lateinischen. Sitz.-Ber. d. K. B. Ak. d. W. philos.-philol. u. hist. Cl. 1887 II 187–208. 202. E. Norden, Ant. Kunstpr. I 24. 305. II 891.

VI 1 p. 128. *Parum est quod iuveni singularis exempli causa mortis fui et tam pretiosa redemptus anima senex ODIOSUS morte filii meo vivo* — ‚*ominosus*', quod codices *VB* optimi exhibent, omittit *P*, textui inserendum est. cf. VI 5 p. 132 *ominose* retentus.

VIII 19 p. 186. *Passus est miser DISCURRENTEM per omnia reserati pectoris improbum VAGAE artis ERROREM* — ‚*vagae*' Schultingius respectis duobus eiusdem declamationis locis (c. 4 p. 168 vanissimus nescientium [scil. medicus]. c. 15 p. 181 cautissimae vanitatis [scil. medicus]) in ‚*vanae*' mutari voluit. Quam coniecturam ut aversaremur, non tam Burmanni argumento iudicantis illud ‚*vagae arti*' aptius cadere in ‚*discurrentem errorem*', quam et harum declamationum et aliorum scriptorum dicendi genere adducti nos quidem sumus. Atque ‚*vagus*' adiectivum sive *vagandi* verbum totiens cum *erroris* vel *errandi* verbis coniuncta invenimus, ut non modo hoc loco quidquam mutari nolimus, sed unum declamationum locum, qui ab hoc usu abhorreat, emendari velimus. Legitur enim IV 13 p. 96 alia (sidera) toto sparsa caelo *vagos* cursus certis emetiuntur *erroribus* [1]). IV 16 p. 98 aliquis *vagi* numinis *errore* perstrictus est: *vitam transiget* ille *discursibus.* [2]) (cf. ‚*discurrentem errorem*' quod exhibet hic locus). X 16 p. 228 animae *vagae errantes*que magica vanitate optantur (Dess. 101). cf. etiam VIII 22 p. 188 exclusus ac *vagus* . . . umbra *discurris.* Cic. Cluent. 62 § 175 cum *vagus* et exsul *erraret* Oppianicus. de rep. I 14 § 22 stellae *errantes* et quasi *vagae.* de n. d. II 1 § 2 non

[1]) Quam declamationum partem una cum paucis quae antecedunt verbis in Firmici Materni de errore profanarum religionum librum ad verbum translatam esse (c. 17, 1 p. 101, 6 H) C. Weyman (L'astrologie dans le ‚de errore' de Firmicus, Revue d'histoire et de littérature religieuses III [1898] 383 sq.) luculenter demonstravit. Nonnulla ipse addidi in Philologi volumine 61 (1902) p. 476 sqq., Julius Firmicus Maternus und Pseudo-Quintilian. Quae ad ‚*certos illos errores*' illustrandos magister affert exempla, hoc forte augeantur loco: Hor. ep. I 12, 17 stellae sponte sua *iussae*ne *vagentur* et *errent.* Contra L. Ampel. lib. mem. III 3 (planetae) a nobis *erraticae* dicuntur, quia *ad arbitrium suum vagantur.*

[2]) Cf. Firm. Mat. math. I 9, 2 K.-S. *vario cursu vita* hominum fortuna semper decernente *transigitur.* Multa Firmici et Pseudo-Quintiliani communia nos admonent de Senecae libris. Cf. Sen. ad Helv. de consol. VIII 3. Epist. 117, 19. de prov. V 6. Ps.-Quint. decl. mai. IV 13. 14. 16.

errantem et *vagam* sententiam. orat. 23 § 77 (de numero oratorio) solutum quiddam sit nec *vagum* tamen, ut ingredi libere, non ut licenter videatur *errare*. de orat. I 48 § 209 ne *vagari* et *errare* cogatur oratio. Prop. III 15 (II 22), 9 Luc. Müller sive *vagi* crines puris in frontibus *errant*. Apul. met. IX 11 *vagarer errore* certo [1]). Min. Fel. Oct. 16, 1 *errantem vagam* . . . sententiam. Priscill. p. 79, 22 Schepss in *vagos* saeculi *errores*. Quae si respicimus non possumus non suspicari etiam decl. X 5 p. 217 esse legendum *vagum* animi mei lugentis *errorem*, ‚*vanum*' autem, quod codices exhibent, illis fortasse quae paulo praecedunt ‚*vanae cogitationes*' (p. 217, 8) scribae obversatis evasisse.

VIII 21 p. 187. *VIX AEGRE misero licuit mori* — vix aegre *codd. omnes*. Quod Burmannus adverbiorum idem significantium alterutrum tamquam ‚e glossa natum' eiciendum esse putavit, multum eum errasse patet. Quamquam enim uno hoc loco declamationum adverbia ‚*vix aegre*' synonyma copulata esse concedimus, cum ‚vix' sine ‚aegre' persaepe occurrat (velut IX 11 p. 199 ter. X 5 p. 217. XIII 3 p. 273. 12 p. 286. XV 12 p. 319), tot tamen aliorum scriptorum locis verborum ‚vix aegre' copulatio firmatur, ut nihil mutare debeamus. Quodsi praeter illos quos vocant Afros (Florus epit. I 26 [II 10] p. 68, 10 R. *vix* et *aegre*. Apul. met. I 19 *vix* et *aegre*. II 14 *aegre* . . . *vix*. X 26 *aegerrime vix*que. I 14 *vix* et *aegerrime*. Cypr. acta proconsularia c. 4 *vix aegre* [2]), etiam Val. Max. VI 9, 14 *vix* atque *aegre* et multo ante hos omnes Plaut. Poen. I 2, 26 [236] *vix aegre*que his voculis coniunctis utuntur, minime hunc usum illi quae dicitur Africitati tribuere nobis licet. Quin immo Graeci scriptores locutionem simillimam exhibent hanc: χαλεπῶς καὶ μόλις Plut. Cam. XXV. μόλις καὶ χαλεπῶς Dio Chrys. 59, 5 [7, 4/5]). Huc pertinere porro videntur Taciteum ‚*paulum aegre*que'

[1]) Cf. C. Weyman, Stud. zu Apuleius l. l. p. 387. Compte rendu du 4ième congrès scient. des cathol., Fribourg (Suisse) 1898, Sciences philol. p. 147 s.

[2]) E. Woelfflin, Üb. d. Latin. d. Afrik. Cassius Felix (Sitz.-Ber. d. K. B. Akad. d. W. 1880). Die Gemination im Lat. ibidem 1882 I p. 483. Arch. X 536. (VI 6).

ann. II 23 et unicum Arnobianum ‚*aegre* atque *aegerrime*‘ [1]) p. 119, 6 R. cf. quoque decl. III 17 p. 73 in addicto et *paene vix* libero (*codd.* pene servo et vix *Burm.*). X 5 p. 217 *vix* bene (*paene?;* sed cf. Ovid. trist. V 10, 20), kaum recht [2]). Copula vero inter ‚*vix*‘ et ‚*aegre*‘ omissa maxime universo declamationum generi dicendi convenit, quo verba synonyma cumulantur. Ita quidem C. Hammer (l. l. p. 46. 47. Dess. p. 71) I 1 p. 2. 2 p. 3 restituit *quare igitur.* cf. *ergo igitur* Plaut. Trin. 756 (v. Brix-Niemeyer[4] ad hunc locum). Most. 848. Apuleius quinquies decies. *itaque ergo* Ter. Eun. 317. Livius quinquies (Arch. X 75). *ergo propterea* Ter. Hec. 63. Accedit *en ecce* II 18 p. 55. XI 9 p. 239 (Dess. 71). Porro huc spectant:

Adverbia: repente subito II 4 [3]) p. 42. propere festinanter II 4 p. 43. serius deinde XII 25 p. 267. insatiabiliter avide XVIII 10 p. 357. repente subito XIX 10 p. 371. tarde diu XIX 9 p. 371 alia.

Adiectiva: anxiam trepidam II 15 p. 52. incerta nutantia II 16 p. 53 (v. Vergiliana X 4 p. 216 adn. 1). placida mitis IV 9 p. 91. insomnis inquieta X 7 p. 219. crudele saevum XI 8 p. 238. XV 7 p. 313. XVIII 16 p. 362 saepius. horridum trucem XI 11 p. 240. *a*ttonitus *a*mens XVII 6 p. 337. 18 p. 348. usitata communia IV 15 p. 97. maligna fallax XVIII 6 p. 355 alia.

Substantivorum paria: maledicta convicia XIV 12 p. 305. tumulos busta XV 5 p. 311. fames inopia XV 9 p. 316. vultus ora II 17 p. 54. vanitas cupido, *l*uxuria *l*ubido IV 10 p. 92. metus calamitates IV 10 p. 92. natales ortus V 7 p. 111. rabies insania IV 20 p. 102 alia [4]).

---

[1]) Cf. E. Woelfflin, Die Gemination i. L. l. l. p. 476.

[2]) Amm. Marc. XVII 4, 15 *vix* aut ne *vix* quidem.

[3]) Apud Burmannum perperam ‚6‘ legitur.

[4]) Itaque etiam VIII 10 p. 176 ‚*planctibus plangore*‘ *(B V* ploratu *Burm.* clangore *P S Dess. p. 80)* tenenda videntur, quippe quae copulatio adnominatione contineatur. cf. *plangere planctu* magno Libell. de Constant. Magno p. 6, 5. 11, 30 H. Zach. 13, 10 (G. Landgraf, Die Vulgata als sprachl. Vorbild d. Konstantinromans apud Ph. Thielmann, Über Spr. u. Kr. d. lat. Apolloniusromans, Speier 1881, p. 72). *planctus* ploratus Paneg. Mam. 10. *plangor* plausus Cic. Phil. II 85 (Woelfflin, Die allitt. Verbb. l. l. p. 76). *plango* ploro Vulg. Ezech. 24, 16 (arch. IX 609). *planctus . . . plangorem* decl. X 4. p. 217. — Denique in Vergili quoque codicibus confunduntur ‚*c*langoribus — *p*langoribus‘ (Aen. IV 668).

Verba: (cf. C. Sittl, Die lok. Verschiedenh. d. l. Spr. p. 96): hauriet bibet II 13 p. 51. evasit effugit II 20 p. 57. stupere mirari II 23 p. 58. indicate praedicite III 9 p. 67. lacerare confodere IV 8 p. 91. trepidat haeret XI 8 p. 238. mentiantur fingant XVII 10 p. 340. praecipitat impellit XVII 10 p. 340. exclusus abiectus sum XVII 10 p. 341. emendare corrigere XVII 13 p. 343. proturbat expellit — interpellat exagitat XVII 19 p. 349. durabo perferam XIX 8 p. 370. Cf. S. Preuss, De bimembris dissoluti apud scriptores Rom. usu sollemni. Edenkoben 1881. Brix-Niemeyer[4] ad Plaut. Trin. 242. Multa synonymorum coacervationis exempla exhibent Reifferscheid, Ind. Arnob. p. 347 sq. Huemer, Ind. Sedul. p. 407 sq. alii [1]).

X 4 p. 216. *Iam desperantibus medicis crediderat pater, adhuc tamen SPERARE MATER videbatur* – spirare *M* matri *BVMPS*. Si consideraris patri una cum medicis *desperanti sperantem* matrem consilio opponi patere, non iam dubites optimorum cod. *B V* lectionem *‚sperare matri* videbatur (placuit)‘ et vulgatae scripturae *‚sperare mater‘* anteponere et quam possis cogitare *‚spirare matri‘*. Nam hoc loco lusum quendam verborum *desperandi* et *sperandi* verbis usum auctorem effici voluisse, reliquarum declamationum more quo verba simplicia et composita sibi opponantur satis apparere putamus. Simile studium

[1]) Occasione oblata etiam quae exhibent declamationes paria synonymorum particulis coniuncta synonymorumque triadas enumerare liceat: vitae lucisque II 8 p. 45. V 9 p 112. (lux = vita Aen. VI 721. decl. IV 8 p. 91. 9 p. 92. VI 14 p 141. XII 17 p. 258. XVIII 17 p. 363. IX 7 p. 195. ‚Lebenslicht‘). In addicto ac paene vix libero III 17 p. 73. cf. G. Lehnert in Philologi volumine 62 [1903] p. 422. secretae profundaeque artis IV 17 p. 99. pro funere supremisque V 18 p. 121. vincula catenasque V 20 p. 124. busta tumulosque VIII 20 p. 186. crudelitatis atque saevitiae IX 1 p. 189. cinis et favilla X 12 p. 224 (cinerem favillasque Firm. Mat math. 1, 3. de errore 15, 4. 20, 6. archiv. X 430. cf. E. Norden, Aen. VI p. 192). poenae suppliciorumque XI 2 p. 232. subito statimque XI 6 p. 236. cf. I. Brix-M. Niemeyer[4] ad Plaut. Trin. 130. 821.

Synonymorum fere triplicationes: certum indubitatum sine errore I 11 p. 30 (‚sine errore‘ adiectivi munere fungitur, veluti ‚sine fide‘ I 10 p. 25. ‚sine herede‘ I 13 p. 31 ‚sine curis, sine affectibus‘ II 19 p. 56.) cunctationi patientiae morae IV 7 p. 89. bellum hostis acies IV 4 p. 86. pietas natura sanguis V 7 p. 111. facilis mitis indulgens V 8 p. 111. impatientiam desiderium dolorem V 17 p. 121. caducum fragile terrenum X 17 p. 229. Ad ‚asyndeton‘ rhetoricum cf. E. Norden, Ind. schol. Gryphiswald. 1897 p. 29 sqq.

supra (IV 14 p. 96 adn.) cognovimus. Huc autem haec pertinent: VIII 11 p. 177 *Medici desperaverunt.* Quid istud ad *patrem? Spera* tu, iube *sperare matrem* [1]). VIII 14 p. 180 temptat pater, ut et huic rei credatis, quod *desperaverint* (Dess. p. 76) omnes, *speravit* unus. VIII 14 p. 180 tantundem periculi *speres*, quantum *desperatio* habet. III 5 p. 64 *legeris-delectum.* IV 10 p. 93 solus vixit quod *voluit*, qui mori *mavult.* IX 21 p. 210 cum amicum, quem *redimebat,* habiturus non esset, nihil aliud *emit* quam honestam conscientiam. XII 17 p. 258 iam non *imus* in litus, sed *redimus* [2]). XVIII 4 p. 352 filium si non *ames,* videatur tibi mater *adamasse?* XV 11 p. 318 *amator-adamata.* XVIII 10 p. 357 tamquam *adamaverint, amant.* Aliorum scriptorum exempla haec e. g. affero: Sen. de benef. III 37, 1 Aeneas *tulit* patrem per ignes et — quid non pietas potest? — *pertulit.* Sen. Thyest. 307 leve est miserias *ferre, perferre* est grave [3]). Apul. met. VII 4 eique *suasisse* ac denique *persuasisse.* IV 11. VII 4. IX 25. *suadens persuadere.* Cypr. de hab. virg. 17 deum videre non poteris, quando oculi tibi non sunt, quos deus *fecit,* sed quos diabolus *infecit* [4]). Plura [5]) invenies apud

[1]) Similitudine sententiarum (VIII 11 p. 177 et, si emendatio placeat, X 4 p. 216) Ritteri opinionem declamationes VIII et X diversis scriptoribus compositas esse falsam esse demonstretur. Cf. Hammer l. l. p. 12.

[2]) Cf. Verg. Aen. VI 122 *it*que *redit*que. XII 753 *fugit refugit*que. XII 866 *fert*que *refert*que. Ov. fast. I 126 *it redit.* decl. I 6 p. 14 *eundi redeundi*que difficultatem. (cf. S. Preuss, De binembris dissoluti apud scriptores Rom. usu sollemni, I [Edenkoben 1881] 39.)

[3]) E. Woelfflin, Das Wortspiel im Lateinischen. l. l. p. 201.

[4]) Cf. E. Norden., Die antike Kunstprosa II 620, ubi plura declamationum et Cypriani sermonis communia animadvertas.

[5]) Occasione data aliud genus lusus verborum (παρονομασία) exempla, quibus declamationes abundant, pauca hic liceat afferre: III 9 p. 67 si corruptorem non licet *feriri, ferri* (lic)et (Dess. p. 86). III 11 p. 68 quid ego *Virgini*um narrem, qui filiae *virgini*tatem . . . morte defendit (cf. Cic. de orat. II § 257 etiam interpretatio nominis habet acumen). III 13 p. 70 *ve*neri . . . *ve*niam. III 18 p. 73 *pon*dus . impo*n*itis. IV 2 p. 85 . . . *novi. Novi*ssima. IV 11 p 93 *put*res *pud*enda. V 15 p. 118 *pat*re *part*iri *pat*erentur. V 16 p. 119 sub immensae *rup*is ab*rup*to. VI 1 p. 128 *luctum* meum *fluctus* nuntiarunt (cf. Woelfflin, Wortspiel l. c 196). VI 19 p. 147 ad*sed*isset . . *sed*ulitas. VI 19 p. 147 et *e*go sic *a*go. contra I 6 p. 11 et primum sic agam. V 12 p. 115 et sic agam (omittitur ‚ego') cf. Woelfflin l. l 193. IX 3 p. 192 ira*scendo* per*tinax,* incen*dendo* con*tumax* IX 8 p. 206 *ulte*riorne . . *ulti*o. X 9 p 221 ne *pelli*cis quidem dolore com*pelli*tur. XII 3 p. 244 *fam*em ipsam in*fam*avimus. XII 7 p.

Dombartium. Ind. Commod. p. 204. Pauly, Ind. Salvian. p. 344. Hoppe, Syntax und Stil des Tertullian p. 169 sq.

XIV 5 p. 299. *Venenum negat esse TANTUM, NISI quod occidit* — Burmanni quam voluit fieri emendationem (v. n. esse *vocandum* nisi q. o.) quamvis multis ipsarum declamationum exemplis verbi ‚*vocandi*' similiter usurpati (XIV 6 p. 300. 7 p. 301. XV 2 p. 307. 5 p. 310. 6 p. 312. XVI 1 p. 323. XVII 2 p. 334. XIX 7 p. 369. XIX 9 p. 371) satis possis firmare, magis tamen placent Casimiri Morawski de hoc loco verba (Zs. f. d. öst. Gymn. 32 [1881] p. 4): ‚Was ferner die Coniunktionen betrifft, so ist mir aufgefallen der breite, umständliche Ausdruck XIV 5: venenum negat esse tantum nisi quod occidit, wo das tantum ganz überflüssig ist und gleichsam eine Vermengung zweier Ausdrucksweisen der negativen und einer entsprechenden positiven vorliegt.' Equidem nescio, an, idquod iam Almelovenius (in Burmanni editione) suspicatus est, immutato verborum ordine sit legendum: venenum negat esse *nisi tantum* quod occidit. Ita quidem exhibent decl. VII 2 p. 154 . . . quem nemo adhuc *nisi* causa *tantum* mei doloris occideret. decl. VIII 6 p. 171: Placet ergo mortales, ut de hominibus, in quos plus ex harum sanguine, ex harum transit anima, *non* habeant partem *nisi tantum* doloris? Fortasse etiam XII 10 p. 250 legendum sit: nihil rogabant *nisi tantum* (totam *vulg.*) sepulturam. ‚tantum-totum' confunduntur XVIII 5 p. 353. VII 6 p. 157 nihil est *nisi tantum* verum? Apul. met. IV 2 ac *ne* convallem *quidem* usquam *nisi tantum* ripae fluvialis marginem densis arboribus saeptam video. Serv. Aen. III 54 neutra vero *non* faciunt *nisi tantum* ex numero plurali. Similia abundantiae pleonasmique exempla cum plurima Casimirus Morawski loco modo laudato enumerarit (cf. l. c. p. 2 sqq.), nobis relinquitur, ut pauca adi-

247 *mis*eri te *mis*imus. XIII 16 p 291 *ven*ena potius in*ven*imus II 5 p. 43 *ven*enum in*ven*it. XIII 16 p. 291 hu*manas manus*. Apul. met. V 1. X 29. XIV 6 p. 300 *pot*es *poti*one. XV 9 p. 316. 13 p. 320 *poti*us — *poti*one(m). XVIII 8 p. 356 *vita*m *vita*re. XVII 3 p. 335 *ru*mor e*ru*buit. XIX 10 p. 371 non . . . ***raptus*** . . . nec ***captus*** (Woelfflin l. l. 196). cf. Hammer, l. l. p. 12 adn 3. Hoppe, Synt. u. Stil des Tertullian p. 168 sqq.

ciamus: in *remota* penatium parte *seposuit* I 2 p. 6 [1]). *statim subsecutum* est II 5 p. 43. *opponi* non possunt *pro* oculis manus II 9 p. 47. primus *ante* signa *procurrit* III 6 p. 64. *extra* omnes affectus *sepositum* VII 6 p. 157. *super* impatientiam *increscit* VIII 1 p. 165. *substituit pro* malo patre miserum XVII 1 p. 333. *vici* curae suae *substituit* propinquos VI 4 p. 131. sic *potius* decipere *maluit* II 6 p. 44 [2]).

XIV 10 p. 304. *Non fuit illud unum venenum: bibi miser exsecrationis quidquid totius mortalitatis ira contulerat, quod erat OMNIUM ANIMALIUM FUROR, omnium serpentium congesta rabies* — omnium furorem *B* omnium furorum *P V S* ferorum *H I* omnium animalium furor *vulg. Burm.* Legendum esse conicio: *omnium ferarum (furor?), o. s. c. r.* ‚Ad *saevitiam*' enim ‚*ferae* gignuntur' Quint. i. o. I 1, 1 [1]). Ferarum vero vocabulum saepe numero in declama-

[1]) *Burm. vg.* exhibent *semota;* sed cf. XIX 3 p. 365 est in miseris penatibus pars *remota seposita.* Velim animadvertas mirum declamationum earum consensum, quas diversis scriptoribus compositas C. Ritter I. l. p. 181 opinatur. cf. Hammer p. 12. Etiam XVIII 12 p. 359 legas: abditam *remotam*que partem.

[2]) Pleonasmi exemplum *(nisi tantum quod),* qui constructionibus diversis ‚*nisi quod*' et ‚*tantum quod*' (Kuehner II § 192, 2b p. 836) in unam conflatis factus videtur, neque in Handii Tursellino neque alibi, quod videam, commemoratum est. Similis pleonasmi exemplum invenitur S. Silviae peregr. 31, 1 (= It. Hieros. p. 83, 32 Geyer) populus . . . iubetur sedere, *tantum* quod diacones *soli* stant; ibidem 40, 6 nihil est ibi *nisi sola* ecclesia. Ps.-Quint. decl. XIX 15 p. 375 *nisi sola* mater. VII 9 p. 161. XVI 7 p. 328. Firm. Mat. math. II 19, 9 K.-S. *nisi sola* Luna. C. Sittl, Lok. Verschied. d. lat. Spr 99. — Propter loci angustias hic adnotare tantum nobis liceat has circumlocutiones notatu dignissimas: *habeo referre* VII 12 p. 163. *habeo queri* XVI 5 p. 326. *habeo impetrandum* IV 1 p. 83/4 (v. Ph. Thielmann, arch. II 57. 70). *incipio scire* (= sciam?) IV 20 p. 101 (arch. II 85). Quod ad ‚*beneficio*' illud in ‚*beneficio caecitatis*' attinet, Casimiro Morawski (Zs. f. d. ö. G. 32 [1881] 11) nil aliud quam ‚*propter*' valere iudicanti non porsus assentior, quippe cum omnibus locis (I 1 p. 2. II 24 p. 59. IV 20 p. 101. VI 8 p. 136. XII 6 p. 246. 8 p. 248) vocabuli ‚beneficio' vim genuinam satis cognoscamus. Cf. etiam F. Zvěřina, Arch. f. d. St. d. neueren Spr. u. Lit. 70 (1883) p. 353. Caecitatis enim *beneficio* adulescens (I 1 p. 2) *absolvetur,* II 24 p. 59 *servatus est.* Simili autem ratione usurpatum videmus: sexus *occasione* II 8 p. 46. unius *occasione* verbi VI 13 p. 140. caecitatis *favorem* II 10 p. 47. neglegentiae *bono* VIII 10 p. 176. (hoc *boni* caecitas habet VI 8 p. 135). *beneficio* mortis IX 23 p. 211 aut etiam *meritum* dignitatis epit. Iul. Exuper. ed. Landgraf-Weyman in arch. XII 565. 573. Casimiri Morawski denique sententiam probaremus, si decl. VI 16 p. 144 non ‚animi *vitio miser* est', sed ‚a. *beneficio m.* e.' legeretur. Cf. etiam Arch. VIII 590 sq. X 452. XII 558

tionibus invenitur (VI 3 p. 129 avium *ferarum*que. 17 p. 145 *ferarum* volucrumque. VIII 21 p. 187 diri *ferarum rabidi*que morsus. IX 18 p. 206. XII 1 p. 242. 8 p. 248. p. 249. 13 p. 254. 14 p. 255. 26 p. 268. 27 p. 269. XIII 17 p. 292. XV 8 p. 314. 11 p. 318). *Ferae-serpentes* componuntur Sall. Iug. 89, 5 (*serpentium)* vis sicuti *omnium ferarum* inopia cibi acrior. (*omnium ferarum* Apul. met. V 22). Iuv. XV 159 sq. Sed iam *serpentum* maior concordia, parcit Cognatis maculis similis *fera*. Plin. n. h. VII 5 leonum *feritas* inter se non dimicat, *serpentium* morsus non petit *serpentis*. Apul. flor. 10 volatus avibus, volutus *serpentibus,* cursus *feris* . . . deus dedit [2]). Ad structuram enuntiati conferas: *omnibus* temporibus, *omnibus* gentibus sacrum fuit IX 13 p. 201. *omnes* liberi, *o.* parentes II 10 p. 47. IV 12 p. 95. VII 12 p. 164. XVIII 5 p. 353. 17 p. 363 saepius.

XIV 12 p. 305 *Sic patior miser illas lupanarum* (em. *Dess.* p. 79; *vulg.* lupanarium) *insultationes, ILLA CORRIVALIUM maledicta convicia, non possum satis tormentorum exprimere mensuram* — illas corporarium *BV* illa corporalium *PS* illa corrivalium *Seldensis 22,* fortasse *Laurentius Valla* (Dess. 95) *vulg.* Verba corrupta H. Dessauer p. 95 emendare eo conatus est, quod ‚illa scortatorum' vel ‚scraptarum' (Arnob. II 42) legendum esse coniecit. Sed cum post illa ‚lupanarum insultationes' synonymum ‚scortatorum' vel ‚scraptarum' non exspectetur [3]), videamus, an sub codicum scriptura alia lectio lateat, qua recepta oratio aptius procedet. Quid? si restituatur: *‚illa concorporalium maledicta'?* Syllabae ‚con' enim abbreviatura ‚C' non iam perspecta, cum eadem littera ‚C' bis esset scribenda,

[1]) Cf. porro Amm. Marc. XXVIII 6, 4 *ferarum* similes *rabie* concitarum. Decl. XII 27 p. 268 *rabiosa* belua Flor. I 11, 7. 34, 15. Apul. met. IX 36 *furiosa rabie.*

[2]) H. Dessauer in eundem quem l. c. p. 80 (VIII 10 p 176 *planctibus plangore*) evitari voluit errorem, tautologiam dico, commendata ‚scraptarum' scriptura hoc loco ipse incidit.

[3]) Cf quoque Apul. met VI 22. XI 25 *ferae* montibus errantes, *serpentes* solo latentes. IV 33 *ferum vipereum*que malum. Firm. Mat. math. I 9, 1 Kroll-Skutsch *ferarum* . . rabies, *serpentis* ictus. Amm. Marc. XXII 15, 17. 27 *ferae — serpentes* saevientes.

altera perfacile in ‚S' potuit corrumpi, id quod codices optimi Bambergensis et Vossianus praebent. Illa vero confusio eo facilius fieri potuit, quod vocabulum concorporalium, quod sine dubio in archetypo fuit, rarissime inter Romanorum litteras invenitur. Sunt enim *concorporales*, qui eiusdem *corporis*, qui sunt *sodales, ‚sodalium turba'* [1]) (decl. IX 10 p. 199. cf. etiam *iuvenes* XIV 6 p. 300. *iuventus* XIV 7 p. 301. *propinqui amici*que XIV 8 p. 301. XV 9 p. 316.) Atque eadem significatione bis vocabulum exhibet Ammianus Marcellinus XXI 12, 15 praesidiarii milites vastantes agros propinquos omnibus congruentibus abundabant raptorum pleraque *concorporalibus* (cf. ‚Korporal', ‚Korporalschaft') suis impertientes. XXVIII 5, 7 nec quisquam eorum genitales revisere potuit lares, ne uno quidem caedibus *concorporalium* superesse permisso [2]). Quoniam in archivi vol. XIII 200 Ammianum eorum quae nova habuisse videtur Pseudo-Quintilianus studiosum fuisse demonstravimus, suspicari ausim hoc quoque vocabulum, si quidem emendatio nostra recte se habet, e declamationibus in illius sermonem esse translatum. Quod vero vocem Ammianeis locis in re militari usurpatam esse dicat aliquis, hoc Pseudoquintilianeo in re a bello aliena, de eadem significationis commutatione liceat admonere, quam vocabula ‚Germanica' subierunt ‚Kamerad', ‚Kommilitone' vel ‚Kollege', quibus cum utuntur perpauci significationis meminere genuinae [3]). Ad rem militarem

[1]) *‚Sodalium turba'* idem fere significare videtur quod *‚sodalicium iuvenum'* CIL V 6951, *‚sodales* lusus *iuvenalis'* XIV 2640. 2636 saepius, h. e. iuvenes in *corpus* (CIL IX 4696, unde fortasse *‚corporales, concorporales'*) legitimum coacti. Cf. CIL X 6465 V 4416. 4355. 5678. III 4272. Plura de hac re scripsit H. Usener, Über vergleichende Sitten- und Rechtsgeschichte (Verhandlungen d. XLII. Vers d Phil u. Schulm. (Wien 1893) 22 sqq. = Hess Blätter f. Volkskunde I Heft 3 (1902) S.-A. p 42. sqq.)

[2]) Praeter hos locos bis vocabulum invenitur (Georges⁷ Forcellini) adiectivi munere fungens: Vulg Ephes 3, 6 gentes concorporales LXX ἐθνη συσσωμα (Rönsch, Itala u. Vulgata² 224). Primas. in ep. Hebr. 3 (Forcellini). Conferas quae de vocabulo *‚concorporalis'* protuli in archivi volumine XIII 200. Ceterum cf. G. Heraeus, Arch. XII 274. Kübler ibid. VIII 187.

[3]) Similem sortem Christianorum plerumque scriptorum auctoritate, quippe qui universam vitam pugnae similem esse quam maxime praedicarent (‚miles christianus') haec vocabula subiere: commilito, contubernalis, camerata, commanipulo, contiro. Cf. G Heraeus, Arch. XII 275 sqq. Kempf, Romanorum sermonis castrensis reliquiae collectae et illustratae (in ann. Fleck.

denique etiam haec spectant: mortem *in procinctu* habendam [1]) III 1 p. 60. ad poenam *pleno gradu* ire III 2 p. 61. *contubernium* doloris XIV 10 p. 304.

XV 6 p. 311. *Audio subinde exactas mero noctes, TUA, MULIER, CONVIVIA, perditas amantium rixas — ‚tua‘*, mulier, *convivia‘*, quod quidem omnes codices exhibent, Gronovius in ‚tumultuosa convivia‘, Burmannus in ‚tuta mulieris c.‘ mutari voluerunt. Equidem conicio, si quidem causa loci emendandi iusta esse videtur, legendum fortasse: *mutua*, mulier, *convivia*. Animadvertas velimus, quae recepta ea emendatione verborum fiat adnominatio (*mu*tua *mu*lier). Quod enim ad adiectivum ‚*mutuus*‘ attinet, saepissime per declamationes occurrit, veluti V 6 p. 109. 7 p. 111. 23 p. 126 bis. VI 8 p. 135. 10 p. 137. VII 3 p. 154. IX 13 p. 201 *mutuo* gaudere *con*gressu. XII 27 p. 268 *mutuo* gaudere *com*itatu. [2]) XIII 6 p. 278. XVII 13 p. 343. (cf. tempestiva convivia IX 10 p. 199). Accedit vero, quod apud Vergilium ipsum, summum declamationum exemplar, legitur Georg. I 300 sq.: Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur *Mutua*que inter se laeti *convivia* curant. Itaque haec emendatio si placuerit, novum imitationis Vergilianae habebimus exemplum. ‚*tuus-mutuus*‘ confunduntur in codicibus e. g. Plaut. Mil. 316. Pseud. 286 Leo.

XV 11 p. 318. *Referam nunc fabulosas immodici furoris prodigiosasque novitates, . . . mortalium ferarumque VULTUS usque ad monstruosae fecunditatis onera perlatos?* — Quid sibi velint illi ‚*vultus usque ad m. f. o. perlati*‘ parum intellego. In eiusdem declamationis capite VIII p. 314 ille ardor vocatur, qui ‚miscuit hominum ferarumque *concubitus*.‘ Fortasse hic quoque pro ‚vultus‘ legendum est

suppl. XXVI) 380 haec cum particula ‚*con*‘ composita enumerat, quibus ille sermo abundat: *co*armio, *com*manipulo, *com*manipulator, *com*manipulus, *com*anculus, *com*manicularis, *com*manipularis, *com*milito, *com*militaneus, *com*par, *con*cibo, *con*terraneus, *con*tiro, *con*tubernalis, *con*turmalio, *con*veteranus. Equidem addo: *con*corporales.

[1]) Cf. A. Otto, Sprichwörter der Römer p. 288.

[2]) Indeque Burmanno assentiar, qui XV 4 p. 309 pro ‚mutata *con*versatione‘ legendum coniecit ‚*mutua con*versatione‘. Cf. Min. Fel. Oct 20, 2 *mutui con*sensus.

‚concubitus'.[1]) An *‚volutus'?*[2]) (= volutatus, volutationes. *volutus* Apul. flor. 10. *volutari* inter scorta III 13 p. 70.)

XV 13 p. 320. *Quin potius, iuvenis, admittis CONSILII RATIONEM?* Burmannus quod *‚consilium et rationem'*[3]) legendum esse coniecit, a genere dicendi cum universi posterioris aevi tum harum declamationum quam longe abesset eo satis demonstravit. Nam cum classici qui dicuntur scriptores ita synonyma particulis ‚et, que, atque(ac)' eadem quam Graeci ‚ἓν διὰ δυοῖν' figurani vocant plerumque conexuissent, ‚ut una res in duas divideretur' (Serv. in Aen. I 61), posterioris aetatis scriptores praecipue inde ab Apulei Madaurensis aetate idem fere eo assequebantur, quod synonymorum alterum alteri subiecerunt.[4]) Cuius usus, cui recentiores grammatici nomen ‚inhaerentiae genitivo' sive, ut nostra lingua utar, ‚Identitätsgenitiv' indiderunt,[5]) cum hoc ‚consilii rationem' habemus exemplum, tum plura per declamationes dispersa repperimus: nefariae cupiditatis festinationem[6]) II 10 p. 47. nocturni silentii quies II 16 p. 54. trepidae festinationis impulsu II 19 p. 56. flagitii crimen III 11 p. 68. novitatis incrementis III 18 p. 74. patientiae aequanimitas IV 8 p. 90. gloriae favorem[7]) V 2 p. 105. cunctationis mora V 5 p. 108. cogitationum ingenia V 16 p. 119. (profundae) caliginis noctem V 16

---

[1]) Simile mendum latere videtur in ‚cultus' XVIII 5 p. 353 (= ‚singultus'?).

[2]) ‚Voltum, vultum — volutum' confusa sunt e. g. Plaut. Capt. 106 (Lindsay, London 1900). cf. W. M. Lindsay, An introduction to latin textual emendation, London 1896, p. 78, (in linguam Francogallicam convertit J. P. Waltzing 1898).

[3]) Cf. ratio consilium (asynd.) XV 9 p. 316.

[4]) Veluti Cic. pro Cluentio 65 § 184 mulier abundat audacia, *consilio et ratione* deficitur — Firm. de err. 17, 4 *ratio mentis.* Tac. hist. II 46 *furore et instinctu* — Firm. Mat. de err. 16, 2. 18, 2 *furoris instinctu.*

[5]) Cf. C. Sittl, Die lok. Versch. d lat Spr. p. 92 sqq. Arch. VII 477. X 538. XI 367. E. Woelfflin, Sitz.-Ber. d. K. B. A. d. W. 1894 p. 103. Reifferscheid, Ind Arnobianus p. 347, ubi multa exempla invenies. cf. porro Arch. (VIII 182). IX 553 G. Kroll, Das afrikanische Latein in ‚Mus. Rhen.' 52 (1897) p. 584 sq. Clifford Moore, I. Firmicus Maternus (diss. Monac.) 1897 p. 19 sqq. pluribus de genitivo inhaerentiae disseruit. Cf. etiam Fr. Stolz-J. H. Schmalz, Lat. Gramm.[3] § 58 adn. 2.

[6]) Nefariae cupiditatis error Firm. Mat. de err. 8, 1 12, 6.

[7]) C. Ritter p. 32: ‚Eine ganz müßige Umschreibung.' (!)

p. 119. erroris aut dementiae furor [1]) V 17 p. 120. accidentium casus V 23 p. 126. crudelitatis saevitia VIII 5 p. 169. vitia morborum [2]) VIII 18 p. 184. emendatio poenitentiae IX 2 p. 191. certamen conflictationis [3]) X 1 p. 212. (spissa perpetuae) noctis caligo [4]) X 8 p. 220. *i*mpetus *i*rae XII 12 p. 253. (immodicus) ardoris aestus XIV 4 p. 298. querelae complorationem XVI 1 p. 322. caligo tenebrarum [4]) XVIII 7 p. 355. cogitationis memoria XIX 16 p. 376. Huc porro spectant: stratorum corporum strages IV 17 p. 99. falsae accusationis incertum VII 5 p. 157. saevissimae condicionis immanitas VIII 2 p. 166. profundae artis secretum VIII 15 p. 181. vagae artis errorem VIII 19 p. 186. laceri pectoris vulnera XVIII 12 p. 359. taedium lucis invisae XVIII 17 p. 363. Huius genitivi *inhaerentiae* mutatio saepe eo fit, quod pro genitivo substantivi adiectivum synonymum ponitur. Id genus exempla complura invenies enumerata in G. Landgraf dissertatione ‚de figuris etymologicis linguae latinae' (Acta sem. Erlang. II 52) [5]). E declamationibus haec excerpsimus: trepida festinatio [6]) II 19 p. 56. modesta lenitas IV 16 p. 98. rapida festinatio [6]) V 6 p. 109. parca frugalitas IX 5 p. 193. parca mediocritas XIV 2 p. 297. praeceps velocitas [6]) XIV 5 p. 299. praeceps trepidatio [6]) XVII 4 p. 336. praeceps

---

[1]) Amentia furoris Firm. Mat. de err. 16, 2. furoris amentia Amm. Marc. 17, 13, 9.

[2]) Vitium, languor = morbus. cf. E. Woelfflin, Üb. d. Latin. d. Afrik. Cass. Felix Sitz.-Ber. B. A. 1880 p. 388 sq. languentium vitia XV 11 p. 319 (Dess. 98). languoris vitium Firm. Mat. de err. 16, 5. languor = morbus IV 12 p. 94. V 5 p. 108. 13 p. 116. 15 p. 118. 17 p. 121. VIII 1 p. 165 saepius.

[3]) Cf. Firm. Mat. math. IV 11, 9. IV prooem. 1 S. saepius.

[4]) Caligo tenebrarum Cypr. ep. LXV 2 p. 723, 20 Hartel. Amm. Marc. XIX 1, 9. XXXI 13, 12. Priscill. p. 64, 10 Schepss = ep. Iud. 13 ὁ ζόφος τοῦ σκότους (= procella tenebrarum Vulg. It.). cf. Arch. III 323. caligo noctis Firm. Mat. de err. 24, 2. caliginis obscuritas Arnob. p. 263, 5 R. caliginis squalor Amm. Marc. XVII 7, 2. cf. Firm. Mat. de err. 19, 1 Praeter illum *Priscilliani* et *Pseudoquintiliani* consensum *(caligo tenebrarum)* animadvertas: *terrena mens* IV 11 p. 93. VIII 13 p. 178 — Priscill. p. 75, 17. *vagi* numinis *errore* IV 16 p. 98 — *vagos* saeculi *errores* Priscill. p. 79, 22.

[5]) Cf. etiam C. Sittl, Die lok. Versch. p. 95 sq. Petschenig, Index Vict. Vit. p. 171.

[6]) Celeri festinatione auct. b. H. 2, 1. 38, 6. celeri velocitate Pseudo-Apul. Asclep. 3. praecipiti festinatione Apul. met. V 21. Vell. Pat. I 16, 1. Petron. 80 p. 56, 25 B[3]. festina celeritate Firm. Mat. de err. 21, 6. Weyman, Stud. z. Apul. l. l. pp. 356. 388.

impulsus XIX 10 p. 372. inconsulta amentia [1]) XIX 10 p. 372. praeceps festinatio XIX 13 p. 374. avidissima cupiditas V I p. 104) [2]).

XVI 11 p. 331 *habet omnia ministeria sua debilitas, suas COOPERATIONES* — comperationes *PHSI* cooperationes *Burm.* Legendum est: *comparationes.* cf. II 16 p. 53.

Loci angustiis pressi dissertatiunculae finem faciamus necesse est. Quodsi ante quam G. Lehnerti editio publici iuris erit facta de declamationum aetate [3]) non ita nova proferre ausi sumus, ex his tamen schedulis elucere putamus C. Ritteri quattuor scriptoribus declamationes distribuentis opinionem vix iam posse servari. Atque cum praeter alia Vergilianae imitationis studium declamationum omnium commune, figurae quae dicitur allitterationis exempla per omnes fere pariter obvia, voces ac locutiones vero earum quae a diversis scriptoribus compositae dicuntur declamationum multas communes [4]) cognoverimus, verisimillimum nobis quidem videtur quae in unum corpus coactae declamationes uni easdem tribuendas esse scriptori.

---

[1]) Huic oppositum est ‚consilium consultum' Gell. N. A. II 19, 4. Amm Marc. XIV 11, 3 (Hertz, Herm. VIII 285) Ammiani porro haec velim animadvertas: concors assensio XVIII 2, 18. concordi consensu XXX 4, 2. exordiens initium XIV 4, 3. tranquillum otium XVII 1, 3. remotus recessus XVIII 6, 16. volucri velocitate XIV 11, 26. aliti velocitate XXXI 7, 7 alia.

[2]) Inde contra Dessaverum (p. 98) fortasse legendum puto V 4 p. 106 properanti festinatione, praesertim cum bis in eadem declamatione (1 p. 104 avidissima cupiditas. 6 p. 109 rapida festinatio) similia exhibeantur.

[3]) Cf. ea quae protuli in Philologi volumine 61 (1902) p. 478. Mea quidem sententia recte coniciunt qui declamationes circiter ducentesimum p. Chr. annum scriptas esse putent: C. Hammer, Rhetorik d Griech. u. Röm. (I. Mueller Handbuch II 3^3 [München 1901]) 9. G. Lehnert, Jahresbericht d. class. Altert. 113 (1902) 102. Scriptoris aequales mihi fuisse videntur Apuleius ac Minucius Felix, quorum ad genus dicendi Pseudoquintilianeum quam proxime accedere nemo negabit.

[4]) Veluti secretum — solitudinem I 13 p. 32. XII 27 p. 269. XVII 17 p. 347. mite — mollis IX 16 p. 204. X 10 p. 222. momenta horae VIII 13 p. 178. XIII 15 p. 289. in remota penatium parte seposuit I 2 p. 6. XIX 3 p. 365. Alia in ipsa commentatione supra laudavimus.

Corrigenda.

Pag. 18 vers. 13 lege: VII.
Pag. 18 vers. 32 lege: 198.
Pag. 58 vers. 2 lege: allitteratio.
Pag. 64 vers. 14 lege: quem Graeci.

VITA.

Ego, Albertus Becker, a. d. XVI. Kal. Octobres anni MDCCCLXXIX Spirae patre Philippo, Anna Stuirbrink matre natus fidem profiteor evangelicam. Decem annorum puerum rudimentis litterarum in ludo Spirensi eruditum pater ausus est tradere gymnasio quod dicitur humanistico urbis patriae instituendum artibus liberalibus. Quod ab autumno anni MDCCCLXXXIX Friderico Ohlenschlager rectore per novem annos frequentavi. Maturitatis testimonio pridie Id. Iulias anni MDCCCLXXXXVIII accepto paulo post universitatem Ruperto-Carolam Heidelbergensem adii. Ter senos menses ibi versatus antiquitatis studia magistris Ottone Crusius, Friderico Schoell incepta universitatis Ludovico-Maximilianeae Monacensis civis anno MCMII praeceptoribus Eduardo de Woelfflin, Carolo Weyman, Guilelmo de Christ, Iwano de Mueller ad finem perduxi. Iam seminarii quod vocant paedagogici Neostadtiensis sodalis duce Iacobo Mueller initiatus arte docendi praeceptoris munere nunc Ludovicihavniae Rhenanae fungor.